APPARATUS
AD
THEOLOGIAM,
In USUM
ACADEMIARUM.

I. Generalis. II. Specialis.

Autore *STEPHANO PENTON*,
Rectore de *Glympton. Oxon.*

LONDINI,
Typis *M. Fleſher*; Proſtant Venales apud *Sim. Miller*, ad Stellam, & *Gualt. Kettilby*, ad Caput Epiſcopi in Cœmeterio S. *Pauli*. 1688.

Illuſtriſſimo Domino Domino Thomæ *Comiti de Alesbury & Elgin, Vicecomiti Bruce de Amptill, Baroni de Wharlton, Skelton, & Kinglos: Sereniſſimi Regis Locum-Tenenti, & Cuſtodi Rotulorum in Comitatu Bedfordienſi & Huntingdoniſi, Hæreditario Seneſcallo de Ampthill, Auguſtiſſimo Regi Jacobo II. à Cameris.*

Honoratiſſime Domine,

ALesburienſis Domûs *ſingularis* erga Sacros Ordines Affectus, ſuo, (hoc eſt *Gentilitio* quodam) jure poſtulat hunc Tractatum: Si-

quidem quàm multis nominibus Pater Philo-clerus Eccleſiam Anglicanam ſibi devinxerit, teſtabantur uberrimæ pridem lacrymæ, quibus Beatiſſimis ejuſdem Manibus à Togatis erat undiquaque pacatarum. Quid dicam de *Ceremoniis* & *Ritibus* Eccleſiæ ad amuſſim obſervatis? De Honore debito erga *Regios Capellanos* ſincere præſtito, ex quo ſereniſſima Majeſtas Illuſtriſſimum Robertum Comitem de Alesbury, ad Ampliſſimum *Camerarii* Munus, plaudente Clero, (mirum!) *nec invidente Curiâ*, nihil tale meditantem, accerſivit.

Quid dicam de Religionis (ſive Triumphantis ſive Militantis) Inconcuſſæ, Tenore ſemper æquo? De Conſiliis Eccleſiæ Anglicanæ laboranti ſemper Promptis, ſemper Salutaribus? De Honeſtate Zeli juſtóque Diſputationis Ardore, quibus Virtuti

Virtuti contra immorigeros, Religioni contra Atheos, Eccleſiæ noſtræ contra Diſſentientes ex animo proſpexit? Et ne Fama in Optimos quoſque & ex iis præſertim Inſigniſſimos mendaciſſima, ex Favore Principis inſperato, Deſertionis aliquam & ad Aliena Caſtra Transfugii ſpeciem moribundo affingeret, cavebat Honoratiſſimus Eccleſiæ Anglicanæ Stator, ut ex Sacramentalis Viatici ſuſceptione ſolenni conſtaret, & vixiſſe ſe Eccleſiæ noſtræ Filium, ídque palam fateri jam Cœlo Maturum.

Sed Vulgaria forſan hæc ſunt laudis argumenta, & Maximo Viro cum aliis Nobilibus communia. Duo proferam Amoris in Clerum infucati monumenta, quibus *Unus* inclaruit.

1. Au-

1. Auguſtiſſimus Rex Carolus Secundus Nobiliſſimum Dominum Regis Locum-Tenentem Comitatui Bedfordienſi præfecit: Et quid deinde, Illuſtriſſimus Comes? Certè Provinciam quam nactus erat optimè ornare: Egregio Honeſtatis & Pietatis *Exemplo* Magiſtratui Populóque præire: Quódque Regi credebat Regnóque maximè ſubſerviturum, Eccleſiam & Eccleſiaſticos curare. Nota & Viſa dico. Hinc Præſidium Clero contra omnes omnium immorigeros malevorum inſultus ſemper præſtitum. Et quando in mentem ei ſubiit iniqua ſors quâ, Rectores, ultra Beneficiorum Valorem per inhoneſtam Parochialium invidiam, laborant, quoties conſueti ad Militiam ſtipendii cenſus exigitur; Non feram, non patiar, inquiebat Pientiſſimus Comes, injuriam Deo, hoc eſt, Dei Miniſtris factam,

tam: adeóque univerſos ſub Ditione Bedfordienſi Rectores, non tantùm injuſto malefidæ Partitionis auctario, ſed toto etiam Onere ſublevavit: Oh utinam ſic omnes!

2. Quando aliquot abhinc annis, in ſuprema Parliamenti Domo, de ſuffragiis Epiſcoporum in cauſis capitalibus tollendis, acerrimè diſputabatur, jactæque nunc denuò aleæ perhorrendus caſus impendebat; Fidiſſimus Achates Alesburienſis, Primus erat (ne dicam ſolus) qui audebat obſiſtere contrà, Veterésque Rebellium inimicitias Epiſcopatui jamjam recrudeſcentes coram exprobrans, torrenti poſuit obicem, pióque forſan Orationis intrepidæ Zelo jus Epiſcopale curavit in ſolidum collocari.

3. Supereſt (Ampliſſime Domine) jam tertium erga Eccleſiam Parentis Clementiſſimi munus: Quod,

a cau-

cautus ne *unius* tantùm *Ætatis favor* Eccleſiam aliquando deſtitueret, Dominationi veſtræ, adamati Cleri patrocinium legaverit: & numeroſam Prolem, magno Virtutum Exemplo ſummáq; Vitæ ſeveritate reliquerit enutritam, Eccleſiæ Anglicanæ faventiſſimam.

Dominationem Veſtram quod ſpectat, quid dicam de Proavis, Atavísque, Qui Scotiæ Annales Nominum, Geſtorúmque claritate illuſtrârunt? Quid dicam de Virtutibus, & Moribus Antiquis, quibus apud Vos vivitur? De Suavitate Vultûs & Comitate Converſationis inaſſuetâ, qua Clericalem Ordinem ſemper es amplexus? De Optimæ Nobiliſſimæq; Conſortis Sociali Tecum fœdere, erga Religionem, erga Regem, erga Eccleſiam, erga Eccleſiaſticos. Oh quàm geſtit luxuriari calamus! ſed obſtat quamdiu vivis, ſumma quâ

Tu

Tu es Modeſtia, & ea quâ ego ſum non patitur, ut ſperem me Tibi ſupervicturum. Suſtine interim (Nobiliſſime Comes) Univerſi Cleri Anglicani cordatiſſimas preces, ut Bonus Deus benedicat Familiæ Dei ſervis Amiciſſimæ; & (quo ſublimius non poteſt aliquid, aut verius optari) ut Dominationem Veſtram dignetur *Hærede Pari*, quo *Patrem* tuum beavit, nihílque ultra ſupererit Votis

Dominationis Veſtræ

Cultoris ſtudioſiſſimi,

Stephani Penton.

PRÆFATIO

AD

Juniores Academicos, præſertim Socios Novi Collegii *Oxon.*

QVis & unde ſubobſcurus I formator Theologorum ſi ſcire deſideratis, is eſt, quem Hodiè *pœnitet*, Olim *hæc Juniorem non noviſſe*: & *qui multi Temporis* Jacturam *vobis in* Lucrum *deputari ſatagit.*

Non habui Wicchamo *quod reponderem*, (*cui Omnia debeo*,) *præter Exiguum Tyronis Gazophylacium*, *in quo Pauperis Ingenii Æra forſan Minutiſſima*, *aliquam apud Inſpectantes Gratiam merebuntur*, *cujus nimirum ope*, *Rationem valeat ſtudiorum magìs per Com-*

pendium instituere, & aliquot Annorum Experientiam, vel unius solius Dieculæ spatio deglutire.

At scripserunt Alii super hoc Argumento, multi multa, sanè, & erudita, tum Veteres, tum Recentiores, tum Angli, tum Exteri scripserunt: Verùm huic opusculo per Eos non præjudicatur; quandoquidem (nisi in Speciali Munere Scholastico & Casuistico) rarissimè in Materia, *at verò in* Subjecti Universalitate, & Methodo, *non omninò mihi cum Illis conveniat.*

Cum Illis inquam, quos videre *contigit: & hoc cùm dico, non possum à justissimâ* Querelâ *temperare, quod innumera Scriptorum Exterorum doctissima Opera nos prætereant: Rara enim quæ huc perferuntur Exemplaria, in paucorum manus surrepta, ad reliquos ne quidem vel* Auditione *perveniunt.*

Sed spes est huic malo occurri posse per Catalogos Auctionarios *in Publi-*

cam

cam Notitiam Editos, & Indices *Librorum in quavis Natione impreſſorum modò iſtiuſmodi Indices evulgentur Linguâ* Doctis Familiari.

Suggerit hoc inſuper Gravaminis multò maximè Dolendi Cenſuram: Doctiſſimos nempè (in quavis Regione) Viros, Anglos, Gallos, &c. Patrii Sermonis, aut Dulcedinem *aut* Famam *uſque adeò deperire, ut* Exteris *invideant opera ſua eruditiſſima,* Vernaculis Linguis *ſepulta:* & Privati *tantùm Uſûs eſſe jubeant ſcripta, toti* Orbi Literario *aliàs inſervitura.*

Deum teſtor, unam huic Apparatui Cauſam fuiſſe Juvenilis ſtudii Profectum, adeoque Publici Boni Conſcientiam, quoad Utilius aliquod Conſilium, Adjumentúmque Tractatulum hunc meum, Academicorum manibus excutiat.

Jam reliquum eſt ut de quibuſdam in hoc opere Rationem reddam.

PRÆFATIO.

I. *De Brevitate: Quantum ſine Obſcuritate poteram breviſſimus eſſe laboravi.*

1. *Quoniam Doceo non Diſputo: & ſemper pro Peccato habitum eſt, quicquid in* Inſtitutionibus abundat.

2. *Sunt &* Alia *inſuper* Studia, *quibus eſt à Junioribus incumbendum quique Moræ ſunt etiam plerumque impatientes.*

3. *Collectionibus* Faſtidioſis (*aliquoties Idem ferè ſonantibus*) *obtundi Lectoris Aciem, Memoriámque degravari non convenit: ſatiùs duxi* Succo & Sanguine *expreſſis, molem cadaveroſam abjicere; hoc præcipuè factum eſt in Apparatu Speciali qui eſt quoddam quaſi Collectorium ex multis Autoribus conflatum, additis inſuper quæcunque ad ſeriem Hiſtoricam & Methodum concinnandam, & ad ſenſum explicandum, neceſſaria videbantur.*

4. *Molis amplitudine, & Paginarum*

rum numero nemo quod ſciam metitur Uſum, Pretiúmque Libri, præter Bibliopolas non ſemper Æquos Studiorum & Laborum æſtimatores.

II. *De Libris in hoc opere, quos ſuper quavis materia tanquam* præſentibus *Juniorum* Uſibus *neceſſarios commendo.*

1. *Statueram ſanè omnes in Cumulum ad Finem libri rejeciſſe, ſed mutavi Concilium, ratus utique multo futurum utilius, ſi ſingularibus capitibus ſuos attexerem Autores, unde manifeſtiùs de eorundem commoditate conſtaret.*

2. *Autores Pauci ſunt:*

(1.) *Quoniam etſi perampla librorum ſupellex pro re natâ quavis conſulenda,* Senioribus & Scriptoribus *ſit neceſſaria,* Tyronibus *interim* Delectus *librorum potior eſt quàm* Numerus.

(2.) *Siquid ego perſuadere valeam, utinam non tantum* infinitæ Lectioni, *ſed*

ſed frequenti *etiam* Meditationi, *ab ipſis Studiorum Theologorum primordiis, à Junioribus indulgeretur: cautum erit hoc modo ab* Indiſtinctione Conceptuum, *& ſenſim* firmabitur Judicium.

3. *Non ſemper Clariſſimos Autores commendo quique ſunt aut Mole, aut Pretio, aut Eruditione maximi, imò forſan, aliquoties obſcuri Nominis nec magni pretii librum conſulendum moneo; quia,*

(1.) *Non* Doctis *ſcribo, ſed* Docilibus, *& ſuum cuique Libro ſubeſſe Junioribus uſum experientia docebit.*

(2.) *Præcipuus hujus Apparatûs uſus, iis forſan eſt futurus, quibus res eſt Anguſta: & quiſquis in quovis Capite plures Autores deſiderat, adeat Geſnerum, Draudium, Poſſevinum, Voetium, & Labbei Bibliothecam Bibliothecarum multo auctiorem factam per Teiſſer. in Quarto.*

III. *De*

III. *De Theologia Scholaſtica cur ſim tam ſolicitus: nempe ut oſtenderem quantum peccatur, tum ab iis qui Theologiam Scholaſticam* Nimiis *onerare* Laudibus, *tum etiam ab iis qui eam* Debitis *fraudare ſatagunt.*

IV. *De Autoribus quibus uſus ſum in compingendo hoc Apparatu, qui plerumque in ſuis Locis nominantur, ſed non ſemper.*

1. *Quando ex breviſſima aliqua ſententia, aut paucis Terminis Artis, mihi multo plura diſſerendi præbetur Anſa.*

2. *Quando Sententiæ aut Termini Artis ſunt Vulgares, multísque Autoribus communes, ut in ſexto & ſeptimo Capite Tractatûs de Theologia Scholaſtica; & Caſuiſticæ, 3°. & 4°.*

3. *Quando unus & idem Author non ſemel, ſed ſæpiùs in concilium adhibe-*

tur

tur ſuper eadem materia, ſufficit Eum ſemel in genere tanquam Adjutorem nominâſſe.

4. *Quando breves aliquot Sententiæ ex variis Autoribus aut ex variis ejuſdem Autoris operibus, aut ex variis ejuſdem operis partibus in unam ſeriem colliguntur, ut in Capite de Origine* **Difficultatum** *in S. Scriptura.*

5. *Quoniam in magno Collectionum cumulo, quaſdam reperi feſtinanter Scriptas, & proinde omiſſis Autorum Nominibus, quæ aliquot Annorum Decurſu memoriæ meæ planè exciderant, aliàs, novi quàm ſit ingenuum fateri per quos profecerim.*

V. *De Indice Materiarum Theologicarum ſeu Locis Communibus novâ methodo Diſpoſitis. Non ſum qui ab* Anteceſſorum *veſtigiis facilè recedendum putem: ſtupeo* Labores & Eruditionem *Doctiſſimorum Virorum qui* Locos

cos Communes *ſcripſerunt: Sed ut quod Res eſt fatear, ſemper in iis* Univerſalem Methodum *deſideravi, qua nempe Antecedentium & Conſequentium connexio naturalis, & Omnium Partium ad* Commune Subjectum *Reſpectus, imperturbatâ ſerie compareret.*

Quemnam enim Reſpectum inter ſe *habent Capita, juxta Symbolum, Decalogum, Orationem Dominicam, Sacramenta, &c.— ſine quo, parum ſanè* Memoriæ & Judicio *ſtudentium conſulitur, & ſine quo, Diſputationum & Prælectionum Theologicarum, imò & Concionum Parochialium Praxis Deſultoria videbitur: ſed an ego, multo ſtudio, & poſt infinitas Capitum tranſpoſitiones, aliquid ad hanc Methodum contulerim, penes Lectorem debet eſſe Judicium: interim nôrit, in id unum me maximopere incubuiſſe, ut nempe Junioribus &* Inexpertis, *quicquid inter legendum occurrit Theologicæ Conſide-*

ſideratione memoratu dignum, hac Methodo, ad ſingulare aliquod Caput, certi alicujus (ex his) Tituli, ſine mora & moleſtia naturali quodam Reſpectu referri poſſet, in futuros uſus expromendum.

VI. *Denique ſi quis cauſabitur, Quædam à me aut* Intacta *aut* leviter perſtricta: *Ea ſunt quæ fuſiùs ab* Aliis *in ſuo loco indicatis tractantur; aut quæ ſpeciatim reſpiciunt Parochiale Munus, & in duabus Epiſtolis Clariſſimi Dodwelli reperiuntur; & in Paſtore Evangelico Oliveri Bowles quo ego ſæpè uſus ſum: quibus adde Joan. Epiſcopi Ceſtrienſis Eccleſiaſten ult. Edit. uſibus Juniorum accommodatum.*

His Prælibatis, præſtabit Interfoliatio Junioribus, (ex Lectione & Obſervatione propria) ſemper aliquid Novi *adjiciendi locum, modo chartam adhibeant Calami Atramentarii patientem.*

Me

PRÆFATIO.

Me quod attinet, certe (fatebor enim) ſi Induſtriæ *par acceſſiſſet* Judicium *nunc magis proficuam Academicis operam & abſque præfanda venia præſtitiſſem.*

Appa-

Apparatus Generalis
AD
THEOLOGIAM.

CAP. I.

De Muneris Theologici Partitione.

QUiſquis honeſto Sacri Muneris amore Theologiæ ſe adjudicatum præſentit, oh utinam! poſito *Famæ*, *Dignitatis* & *Lucri* ambitu, unum Divini Numinis honorem, Animarúmque Curam, juxta & operæ ſive benè, ſive malè collocatæ, olim reddendam rationem uſque & uſque reſpiceret: Quid ni hoc nomine ſpondeatur ipſi, Patrem luminum cœptis Theologicis auſpicatò initis, *(tanquam ſuis rebus)* gratioſè adſpiraturum.---Inſupèr pauca monendus eſt.

Sequendum eſſe *Naturæ*, hoc eſt, Divinæ Providentiæ *ductum*; eò ſcilicet nitendum quò propendet Animus; ſive in Re Theologica Munus Polemicum & Scholaſticum, ſive Eccleſiaſticum & Hiſtoricum, ſive Criticum & Textuale, ſive Morale & Caſuiſticum magìs arriſerit: Quotus enim quiſq;

(quæ noſtra eſt Anguſtia) tam feliciter natus eſt, ut Ingenio valeat ad omnia comparato?

1. Sunt quos cogitationes ſubtiles, ſubactúmque judicium ſtricto ſermoni, & ratiocinationi formant: His autor ſum ut *Controverſiis* dirimendis, & Hæreticis refutandis operam navent.

2. Sunt quibus uberior ſolito memoria, conciliat amorem Rerum multis retro ſeculis geſtarum: His fas eſto in Campo *Hiſtorico* expatiari, Geographiâ interim & Chronologiâ in partes convocatis.

3. Sunt quibus repetitæ lectionis aſſiduitas tædium non parit, & moleſta non eſt operoſa linguarum penitior inſpectio, hos dixerim rebus *Criticis* natos.

4. Sunt quibus benignior Natura, & peramica humanis infirmitatibus condolentia, commiſeratiónem ingenerat, Conſcientiis Ægrorum ſublevandis oh quam neceſſàriam! *Caſibus* hi Conſcientiæ, & ſcrupulis Infirmorum animis vacent eximendis.

Excluſivè hæc non dico, quaſi, qui in ſingulare aliquod ſtudiorum genus nativo fertur impetu, reliqua ſuſque deque haberet, ſed quoniam qui omnibus ex æquo partibus, operam impendit, parùm ſolicitus favente fiat id, an iratâ Minervâ: Næ, perexiguos eum profectus aliquando facturum promitto, & in illaudabili Mediocritate conſtiturum. Quod idcirco monendum, quia certius non eſt *Deſultorii* ingenii, & nunquam magna præſtituri indicium, quàm, omnes pariter artes primoribus labris attingere, ut ad populum eruditus videaris, nulla demùm ſcientiâ intimè perſpectâ. Nec triſtiore quenquam Fato, ſuum deſtituit augurium, quàm qui doctâ quâdam garrulitate nomen ambit:

Siqui-

Siquidem poſtquam ſibi ſuíque ſimillimis, mirificè placens, aliquam de ſe exſpectationem, concitare ſategerit, in publicum prodit, ſibi & famæ impar, turpiſſimè ſubſidit, & majore cachinno excipitur.

CAP. II.

Theologiæ Candidatum animo eſſe omnibus Præjudiciis & in ſtudium Partium injurato.

SI Carteſius in *Speculativis* tam ægrè impetravit Raſam Tabulam à viris doctis cum illo ſuper hâc lite commiſſis: Quantæ molis erit præjudiciis exui, quibus res eſt cum Affectibus, de Doctrinis nempe quarum finis eſt *Praxis*, & quarum perfectio eſt felicitas æterna. Educationis permagnam eſſe vim in utramvis partem, ſi minùs experientiâ conſtaret, ſuaderet ratio; ex docilitate pueris ingenita ex repetita quæſtionum importunitate, & curioſa novitatis aviditate quâ unâ res ſolent perplacere: Hunc naturalem cognitionis appetitum primæ rerum notitiæ mirâ delectatione implent: Hinc accidit tenaciſſima rerum in Puericia cognitarum memoria, & magna lucta quâ ſuſceptæ opiniones novæ cedunt evidentiæ.

Dolenda eſt igitur quæ parentibus eſt in uſu, fatalis quaſi & irreſpectiva liberorum ad Theologiam deſtinatio, ante omne liberi Arbitrii exercitium in pueris, nec dum gnaris---- Quid ferre recuſent, Quid valeant humeri---- Gratias Deo & chriſtianiſmi Patronis, cautum eſt Beneficiis &

Honoribus, ut laborioſæ educationis tædium & expenſæ, abundè remunerentur; ſed ut media, non ut finem ultimum iſta reſpiciamus.: Et in hoc caſu periculum eſt, aut à defectu prudentiæ & eruditionis tanto oneri deſideratæ, aut ab incuria, & morum improbitate, quam paſſim creare ſolet *Coacti* muneris faſtidium.

Prodit ſe in puerulis aliquod nativæ Indolis ſpecimen, cui vim infert inidoneæ inſtitutionis imperium; aliàs, in quod quiſque profeſſionis genus, & quibus ortus ſit auſpiciis, Naturâ præeunte conſtaret. Fas eſt à Jeſuitis doceri, à quibus in ſortiendis vitæ muneribus, non caſu, non ineluctabili jure Parentum agitur, ſed ex cognita prius habilitate, ingenióque exploratiùs præviſo: Subit hîc obiter quòd de Clavio perhibetur, eum ſcilicet omnibus Artibus & Scientiis ineptiſſimum omnibus Tutorum conatibus imparem, & vix ungendis axibus utilem, mox à ponte literario dejiciendum; tandem (quæ una ex ſcientiis intentata ſupererat) in Mathematicam impegiſſe, & qualis quantúſque extitit! à quo nempe Jo. Scaliger corrigi maluerit, quàm ab alio laudari. Quenſtedt.

Sed Theologiæ maximè infeliciter ſuccedit, quoties, non tantum inviti ad ſacros ordines, ſed etiam ad certas in Theologia Opiniones multoties prædeterminantur, Parentum Tutorúmque exemplis invaleſcentes. Τὸ μιμητικὸν in pueris egregium eſt, quibus quamdiu deeſt judicium verum à falſo diſcernendi, quid mirum! ſi toti in imitationem rapiantur, claméntque, Ego Arminianus filius Arminiani, Ego Calvinianus filius Calviniani, unámque in Schiſmate Tutelam exſpectent.

Hinc itum eſt in partes, tantóque *Singularitatis* ſtudio laboratum, ut adverſantem opinionem fer-

er

re vix quiſquam valeat. Hinc Divinæ Revelationi vis illata, Deus in patrocinium coactus, quando ad Articulos fidei, Confeſſiones, Catechiſmos, Symboláque privata, ſacræ Scripturæ exiguntur, non iſta ad Scripturas. Hinc citationes fraudulentæ, corrupta exemplaria, ſcripta Patrum optimorúmque Autorum, & decreta Conciliorum ad libitum approbata, damnata, interpolata: Hinc omnia Proteſtantium cum Pontificiis, Lutheranorum cum Calvinianis, Arminianorum cum Antiarminianis, Epiſcopalium cum Puritanis, Presbyterianorum cum Independentibus, irrita ſemper Colloquia: Tanti refert, Theologo nequid à *Teneris* ſucci loliginei affricetur!

CAP. III.

Subducendum eſſe ſtudium à rebus Muneri Theologico Inimicis, aut ab eodem prorſus Alienis.

1. A *Moleſtis Negotiis* quantùm fieri poteſt. Fatiſcit enim animus curarum pondere degravatus: quem liberum eſſe convenit, antequam poterit omnes quibus pollet vires virtutéſque exſerere. Nec eâ quâ fas eſt ſerenitate, gaudere contingit illi, qui *variis* ſe rebus immiſcet, in ſtudia ſæpe contraria incertum ſui trahentibus.

2. A *Voluptatibus* (etiam ſæpè) innocuis. Durus iſte ſermo & teneris vix auribus ferendus, quibus uſque adeò ſpecioſo Recreationis titulo ſolet adblandiri, atque ingens conſervandæ valetudinis

propoſitum mentiri. Valetudinem neque negligi velim, nec operosè curari, utrique cavet modica & frequens ambulatio: Modicam dico, ſiquidem ex vehementiori exercitio nunquam ſine periculo ſudatum eſt. Debemus hoc carni noſtræ, quod precario vivimus & ſapimus, quod languorem inducit iterata laſſitudo, exhauſtósque ſpiritus ſequitur debilior animæ operatio.

Reliqua quod attinet exercitiorum genera & Voluptatum, quicquid obtenditur, vereor ea fore ad magna aſpirantibus inimica; ſive præſentis temporis jacturam haud exiguam, ſive laſſati corporis animíque intemperiem, ſive anteactæ voluptatis recordationem haud infrequentem, ſive futuræ voluptatis anticipationem jucundam reſpicias, ſtudiis Theologicis utique ſufflamen injecturas.

3. A ſtudiis Muneri Theologico *parùm affinibus.* Mediocris in omnibus Artibus & Scientiis profectus ad Theologiam præſumitur: Sed ut quo, non ut quod, quo ſcilicet mediante, ad Theologiam tanquam finem perveniatur, quæ omnes omnium conatus exhaurire debet.

Olim & famæ ſuæ, & publico bono ſatis conſuluiſſe cenſebatur, quiſquis in ſingulare aliquod ſtudium incumbens, id unum ſatagebat, ut quod ſui erat muneris impleret. Sed hodie in unius artis anguſtiis concludi non ſuſtinet currentis ſeculi capacior anima, non contenta tota eſſe in tota Encyclopædia, niſi ſit etiam tota in qualibet parte; ſed ut præſentis inſtituti ratio obſervetur, miſſis aliarum facultatum profeſſionibus, munus Theologicum ſortitis, hujuſmodi *Ardelionatum* interdicendum cenſeo.

1. Ne-

1. Neceſſe eſt propriæ profeſſionis munus, multo tempore, debitáque diligentiâ fraudari, quæ artibus ab eo alienis injuriosè impenditur. Inſuper etiam metus eſt, ne voluptas ex eis ſponte & proprio motu ſuſceptis orta, major plerumque quàm ex munere cum moleſtiis variis mixto concipi ſolet, animum abducat, & ferè totum ſtudium abſorbeat, nec vacare ſinet ſpecialibus profeſſionis Theologiæ officiis, cui malo cavebatur à veteris Eccleſiæ Canonibus, ut ex Cypriano aliísque conſtat.

2. Πολυπραγμοσύνη in Theologo invidiam creare ſolet & contemptum, in quo nempe, aliarum, à ſua, facultatum cognitionem nemo deſiderat. Famæ velificare ambitionis eſt, & Theologo indignum: ex ſpe vel Timore quocunque modo captare benevolentiam adulantis eſt & puſilli animi: Interim verò parvi non refert, qualem apud prudentes exiſtimationem eſt adeptus, & à Συκοφαντία quantùm honeſtè poteſt cavendum. Plus ſatìs malevolentiæ apud ingratum & irreligioſum ſeculum conflatur nobis, vel ex uno Munere & Nomine, quæ ſuſtinemus. Et ſacerdotium, quod apud Judæos, Turcas, Hæreticósque honore maximo & poteſtate ſemper præpollebat, infra omnium profeſſionum (dixiſſem occupationum) dignitatem, deprimitur. Seu hoc ex ſuperbia, invidia, avaritia, aut Atheiſmo contingat, certum eſt maximè nobis annitendum eſſe, omnimodam odii occaſionem à nobis amoliri, & proinde ab invidioſa curioſitate abſtinendum, aliquam veluti Scandali dati ſuſpicionem præ ſe ferente.

3. Quiſquis, ex quo Alea ceciderit Theologiæ, diverſis pariter ſcientiis, operam eſt daturus, aut neſcit, aut diſſimulat Oneris Theologici

gici momentum, cùm totum fecerit, ſervus adhuc inutilis auditurus? Muneri igitur tam multiplici tam ſpiſſo, ſe totum accingat, in id unum omnibus viribus Corporis Animíque collectis: Interea Medicinâ Medicis, Politicâ Aulicis, Jure Communi Cauſidicis, Melancholicis Muſicâ, & Poeticâ otioſis relictâ.

CAP. IV.

Cavendum eſſe ab immodeſto in Divinis Phantaſiæ & Rationis uſu.

RAtionalis facultatis exercitium, ſupponit quædam Principia ex quibus tanquam notioribus concluſiones minùs notæ deduci poſſunt; aſt alia ſunt in *Divinis*, alia in *Philoſophicis* Principia. In Metaphyſica nempe & Mathematica, tanta pollent evidentia, ut vel nuda terminorum explicatione, intrinſecâ ratione, & ſuo quaſi jure aſſenſum extorqueant; nec poteſt ulla formido oppoſiti, decantatum iſtud Scepticiſmi fundamentum, ſubeſſe; verùm in ſcripturis ponuntur quæ credi tantùm debent, & proinde ſi laſcivienti Phantaſiæ laxentur habenæ, aut ſi motivis Credibilitatis diſputax Ratio ſeſe oppoſuerit, actum erit de Evangelio ſtultitiâ Græcis, ſcandalo Judæis futuro.

Hæreticorum anteſignanis exhinc abundè ſcrupulorum quibus infirmos illaquearunt; & ſequiorum ſeculorum Hæretici, Patrum, Conciliorum, & Eccleſiæ Univerſalis autoritate valere juſsâ, Gram-

Grammaticâ & Ratione freti, ſibi unicè tanquam Spiritui Sancto à ſecretis, Scripturæ interpretationem vendicârunt: ſuus eſt & Phantaſiæ & Rationi uſus, modò ſecundùm fidei analogiam; Nollem Theologos ad molam occæcatos damnari, ne Sampſonis ad inſtar Inclinantis ædificii ruderibus olim ſuccumbant.

Sed nec tam cernere acutùm quàm Viri de Bethſhemeſh ſacram Arcam inſpectantes fidentius, quis enim unquam impunè rupit Myſteriorum *Veneranda ſilentia?*

I. Ut igitur ſtudia modeſtiùs & utiliùs inſtituantur, expedit ſibi ſocium adſciſcere, ætate, moribus, & conditione quam proximè ſimilem, quîcum ei ſtudia poſſunt eſſe communia.

1. Hæc ſocietas fallet *ſolitarii* ſtudii tædium.

2. Alter alteri ſubveniet frequenti Colloquio acuendo ingenium, quæ exciderant in memoriam revocando, & quæ diſputantur menti diſtinctiùs altiúsque infigendo.

3. Cautum erit hoc modo Crumenæ, factâ nempe librorum Partitione quibus forſan alteruter coemendis non eſt.

4. Proba in ſtudiis contentio hinc eſt oritura, & majorem aſſiduitatis neceſſitatem alter alteri inopinato imperabit.

5. Amicitia tam ſincerè inita ab erroribus cavebit, atque etiam honeſtiùs implebit inania temporis interſtitia, aliquámque vel otii rationem reddet.

II. Præ-

II. Prælectiones & Diſputationes in Theologia, à junioribus, ſepoſitâ quavis Excuſationis ſpecie, eſſè frequentandas.

Tyronibus & adhuc inexpertis ego certè ſanius Conſilium non novi quàm ſeniorum veſtigiis inſiſtere; habent nempè multorum dierum, fortè Menſium labores, in compendium unius horæ conſtrictos: adeóque poſt unum & alterum annum, quaſi aliud agentes, præcipua fidei capita, enucleata & ſtabilita audient, & ex Profeſſore & Opponentibus ſuppetet ſedulò attendentibus egregium argumentum, quo plurimæ quæſtiones impetuntur, quod domum revertentes, libro chartaceo mandabunt. — Etiam in clariſſimorum virorum concionibus, &c. — Obſervetur ſeriò, quinam autores, quo Editore, quo Prælo evulgati, citari ſoleant: Atque utinam ignoſcat & ſummoveat Deus ultimum illud inexcuſabilis deſidiæ dedecus, quod rari, ídque παρέργως doctiſſimorum virorum, labores participamus, tanquam ægriùs nos vel audire ſuſtineamus, quàm illi elaborare, prælectiones toto forſan orbe celeberrimas.

CAP.

CAP. V.

De Obſervandis in aſſidua Lectione Sacræ Scripturæ.

1. Hiſtoriam, Chorologiam, & Chronologiam juxta methodum in ſpeciali parte traditam obſervabis; etenim diſtinctæ ſeries rerum perſonarúmque memoriæ ſuppetias ferunt, & concionem illuſtrant, ornant & amplificant Locorum Geographica, & geſtorum Chronologica cognitio. Noſſe inſuper convenit quid de cujuſque libri Autore, & in Canonem receptione à veteribus traditum eſt, quod Canon Scripturæ per *Coſens* editus oſtendit, etiam Biblioth. Nouvelle per *Ellies du Pin* diſſertatio præliminaris.

2. Loca è quibus Fidei dogmata robur accipiunt, & quæ contra Hæreſes pugnant.

3. Loca difficiliora, juxta Criticam in ſpeciali parte.

4. Singulares varii argumenti textus, qui prout utilitas auditorum & occaſio nata deſiderabit, concioni materiam ſubjectam præſtabunt.

5. Proſopographiam ſacram juxta methodum Alſtedii in Biblico Triumpho egregia exempla virtutum, vitiorum, pœnarum, liberationum, promiſſionum, Comminationum, &c.

6. Inſigniora Rhetoricæ Schemata in Jobo, Pſalmis & Prophetis, &c. uſurpata.

7. Phra-

7. Phraſin & modum loquendi concionanti neceſſarium; vide Eccleſiaſten Wilkinſii: & quoties ſuboritur ſuſpicio de loco malè reddito, conſulas alias à præſenti verſiones; nam ſæpè contingit ut textus difficilis in una verſione noſtræ linguæ malè redditus, per aliam corrigatur & explicetur; ut nihil dicam de Pſalmis, vexatiſſimus iſte locus 2 *Sam.* 1. 18. *præcepit ut docerent filios arcum*, & riſum movet & ſtomachum legentibus: quando interea vetuſtiſſima Anglicana verſio veritati & Davidis planctui morem gerit, cantico arcûs nomine indito.

8. Ne junior jam ex portu ſolvens naufragium faciat, præmonendum Theologi judicant de certis quibuſdam articulis quos magis impunè neſcire poteſt imberbis Tyro, quàm ſupercilioſus quiſpiam explicare. *De Objecto Prædeſtinationis, de Ordine Decretorum, de Redemptione Univerſali, de Libero Arbitrio Deique concurſu, de Gratia Sufficienti, Efficaci, Irreſiſtibili, & Indefectibili*, quæ diſputantur, magni refert, ne perperam intelligantur, & ne difficilia Scripturæ loca, (magis nervosè quàm vulgo creditur) alterutrinque militantia, adhuc inexperto, aut parùm honorificam de Gratia Dei, aut parùm ſanam de hominis obedientia doctrinam obtrudant, olim cum animarum diſcrimine popello propinandam.

Poteſtate declarandi Articulos Fidei in ſacra Scriptura traditos & ſanciendi conſtitutiones, Eccleſia Catholica in Conſiliis Generalibus, Controverſis devitandis & notandis Hæreticis proſpexit: Quid ni filiorum ſuorum eadem Eccleſias Particulares tangat cura? Quid ni Eccleſiæ Anglicanæ idem liceat in Synodis autoritate regiâ convocatis?

tis? Quod quibus gradibus, & quo jure id præſtitum fuerit, demonſtrârunt viri docti, ſtudio nimirum à nobis injuſtam, *Religionis Parliamentariæ* calumniam amoliendi.

CAP. VI.

Biblia Sacra Illibatæ Chartæ foliis intertexta mox à Baccalaureatu comparanda.

1. Quoties aut ipſe legit aut aliquod ſacræ Scripturæ caput lectum exaudire contingit, penecillo, quod ſemper in promptu eſſe debet, notabit in textu ſi quid offenderit difficultatis; & ne longo temporis tractu in immenſum creſcat textuum difficilium numerus, adeóque Novitium tædii metu deterreat, eodem aut (ad ſummum) ſequente die, criticos adeat, & locorum difficilium explicationes (ſed quam poterit breviſſimas) interfoliatis bibliis inſcribat, ità vel nullâ vel exiguâ temporis jacturâ, abdita ſacræ Scripturæ penetralia, paucis demùm annis quaſi ex improviſo perluſtrabit.

2. Multoties evenit ut Philoſophicum vel Philologicum librum legenti, occurrat Scripturæ locus eleganter citatus, & non inerudité explicatus fortean acutè; periculum eſt, ne legenti librum alio propoſito, excidat iſta interpretatio niſi prædicto Bibliorum uſu tempeſtivè caveatur.

3. Quandoquidem multa legenti, multa obiter occurrunt, ſpecialibus olim Theologiæ muneribus uſui futura; e. g. characteres illuſtrium Scriptorum,

rum, Patrum, &c. Hæreſiarchæ, manifeſti Errores, diſcrepantes Opiniones, &c. opus erit chartaceo libro molis ſatis congruæ, in quo juxta Indicem libro præfixum, hæc & alia in poſterum expromenda deſcribantur.

CAP. VII.

Linguarum penitior inſpectio quàm quæ in Scholis traditur eſt neceſſaria.

POſt prima *Hebrææ Linguæ* rudimenta (de cujus pronunciatione utinam inter nos minus indecorè conveniret) miſſis ad tempus exceptionibus à Regulis, quæ plus æquo morantur diſcentem, facilè & cum fructu tranſitur ad radices cognoſcendas, quarum non admodum dives eſt hæc lingua, pauperrima ſepoſitis vocibus peregrinis Hebræâ civitate donatis.

Et pro exiguo quod in me eſt judicio, propria Nomina tanquam *ſigna notabiliora*, faciliùs apprehenduntur & tenentur firmiùs; adeò ut ſi ſignificationes & derivationes Nominum in veteri Teſtamento, Hominum, Regionum, Urbium, Fluviorum, &c. quis probè perſpexerit & mandaverit memoriæ, præter Vocum originalium haud mediocrem numerum, egregiam etiam veteris Teſtamenti hiſtoriæ partem, ex iſtis nominibus (non caſu ſed conſilio impoſitis) ſe nôrit aſſecutum; deinceps pretium erit laboris in verſandis Pſalmis operam proximam collocare.

1. Quia

1. Quia repetita earundem vocum usurpatio, communiores radices reddit familiares.

2. Psalmorum quotidiana lectio in Liturgia contextûs recordationem suggerit adeò promptam, ut audito uno alteróque vocabulo, seriem antecedentium & consequentium tibi subire necessum sit. Editio Psalmorum Leusdeni (ni fallor) usui est futura; in qua radices versicoloratis literis distinguuntur, adhibita etiam Bithneri Lyræ Davidicæ Analysi, quæ expediet lectori non Radices tantùm, sed etiam Praxin Grammaticæ, & minutiora ista, quæ priùs differenda duxi; hoc instructus apparatu paratior accedet ad reliquos veteris Testamenti libros mediante Leusdeni compendio Biblico omnes universi V. T. radices certis versiculis continente.

De Methodo *Græcæ Linguæ* addiscendæ, multa præfandi, necessitatem præripit mihi, communior ejus in Scholis privatis usus. Hoc unum Theologus monendus est, Leusdenum viam compendiariam instituisse, quâ paucis mensibus assequi valeat novi Testamenti linguam, quod etiam in Psalmis prædictus Bithnerus præstitit; quorum mentio mihi in mentem revocat quod hic obiter adjiciam. Versiones Psalmorum Anglicanas ità inter se repugnare, ut sine famæ periculo alterutram citare non valeas, nisi lite prius per textum *Originalem* diremptâ.

CAP.

CAP. VIII.

De Obſervandis in Lectioue S. Patrum.

QUoniam Juniori per alia ſtudia, non vacat prorſus in altum velificare, poſt ſacræ Scripturæ lectionem, *Vitas* ſanctorum Patrum, etiam atque etiam perlegendas moneo.

1. Hinc Statum Eccleſiæ, & res ei contemporaneas, habitâ Chronologiæ ratione, ob oculos quaſi poſitas aſſequetur.

2. Hinc innoteſcet quo quævis Hæreſis orta ſit ſeculo, Autor, Occaſio, Propugnatores, Impugnatores, &c. Hæc à Theologo non ignorari, quàm ſit neceſſe, patet: Quòd multa ſint Patrum ſcripta non abſolutè tradita, ſed habito ad hanc vel illam Hæreſin reſpectu; Multa in eorum ſcriptis occurrere cenſurâ digna (fatentibus id etiam Pontificiis) aut obſcura, aut incurioſa: 1. Ob Diſputationis Ardorem. 2. Diſputationibus nondum motis ſecuriùs locuti. 3. In Exhortationibus vehementiùs locuti ſunt in favorem aliorum & ut alios permoverent. 4. Quia formulas locutionis à vulgo mutuati populariter docuerunt. 5. Sæpè loquuntur recitativè, non aſſertivè, unde Hæretici aliquam ſuis erroribus antiquitatis ſpeciem comparârunt, Patribus tanquam partium adverſantium fautoribus, utrinque citatis. Mitto alios, magnum Auguſtinum teſtor; cujus dicta niſi hâc methodo diſtinguantur, vix ſibi conſtabit aut Charitati; exempli gratiâ, niſi zelo in Pelagianos ductus,

ductus, tum durius in Infantes animadvertisse censeatur, tum in Deum ipsum; peccatum scilicet peccato, tanquam pœnâ plecti, & impios in peccatum ferè cœlitùs impulsos; adeò ut utrinque peccetur, tum ab iis qui ob unum vel alterum errorem omnia Patris opera rejiciunt, tum ab iis qui tantâ veneratione Patres prosequuntur, ut omnia sine ullo delectu deglutiant, non considerantes, quâ de causâ, quibus affectibus, quibus occasionibus, locis, temporibus & personis accommodanda scripserint, & quid erat cuivis ex Patribus *Singulare*, quod cautelam in Lectore desiderat.

3. Expedit scire quâ quisque Pater indole fuerit, qui scripsit, an in Iracundiam proclivis & θερμὸς, &c. Quis enim non dolet istam in S. Hieronymo amarulentiam, quam Tros Tyriúsve nullo discrimine luebat; sive ex frequentibus jejuniis, seu aliunde contigerit, certum est eam amarulentiam, in Illo, quandoque singularitatis studii, quandoque non sani judicii, suspicionem injecisse.

4. Sedulò distinguendum est inter dicta S. Patrum quæ in *Commentationibus* eorundem & *Argumentationibus* reperiuntur, in quibus strictiùs & ex animo agitur, & alia dicta, quæ in *Concionibus* ad populum, aut *Epistolis familiaribus* prostant, in quibus laxiori sæpè stilo, & illustrationibus Allegoriisque aliquoties indultum est, ut meliùs nempe aut movendis affectibus, aut populo instruendo consuleretur.

5. Præmonendi sunt Juniores, ut doctos autores tam ex Pontificiis quàm ex Protestantibus consulant, qui ex scriptionis tempore, stilo, dogmatúmque circumstantiis, in discernendis *genuinis*

Patrum ſcriptis à *ſuppoſititiis* egregiam poſuerunt operam: Quales ſunt Bellarminus, Jameſius, Cocus, innumeríque alii.

6. Ex omnibus Patribus initium ſumat ab iis qui vindicias Chriſtianæ Religionis elaborârunt, & paſſim *Apologetici* audiunt, quorum Catalogum Epiſtola eruditi Dodwelli exhibet.

Nam quandoquidem illuſtriores perſonas & res geſtas, omnes ferè ſcriptores ſuis Nationibus aſſerant (ut in Hercule, aliíſque conſtat) neceſſe erat Hiſtoriam fabulis, Nomina nominibus, Tempora temporibus confundi: Proinde Juniorem valdè delectabit reperire in Apologeticis Scriptoribus, ea quæ dudum in Ethnicis confuſa legerat & indiſtincta, nunc applicata & illuſtrata; quando videt teſtimonia ex Gentilium ſcriptis allata, Narrationibus V. Teſtamenti ſtabiliendis inſervire; adeò ut de Ethica, & de Theologia Gentilium, Evangelium per *iſtos Patres* triumphârit, comparatione cultûs cum cultu, exemplorum cum exemplis, præceptorum cum præceptis, ad rectæ rationis examen, factâ.

7. Scriptorum Eccleſiaſticorum lectores monendi ſunt de inſcriptionibus eorundem, vel ab ipſis omiſſis vel aliunde depravatis.

1. Omiſſis. (1) Modeſtiâ & oſtentationis fugâ, (2) Vitandi in lectore, nominis præjudicii gratiâ (3) Ad cavendum odium Periculúmque ex ſubjectâ materiâ oriturum.

2. Depravatis (1) Errore & imprudentiâ, vel ob nominis aut cognominis æquivocationem; vel ob titulorum affinitatem; vel omiſſam ab Autore Inſcriptionem de induſtriâ, unde librariis & exſcriptoribus pro cujuſque conjecturâ, poteſtas quælibet fingendi nomina; vel ob ſtili ſimilitudinem & ar-

& argumenti communitatem, &c. (2) Fraude depravatis; vel quæſtûs & utilitatis gratiâ, *ſpecioſis Titulis* tanquam ſuſpensâ hederâ emptores aucupando; vel pro hæreſibus propagandis: Has fraudes, & hujuſmodi plures, vide apud S. Senſ. L. quarto, quas detegunt Critici, oſtendendo aut temporis rationem, aut dogmatum materiam, aut ſtyli Characterem rebus deſcriptis non convenire.

8. Etſi fatendum ſit dolendúmque innumera ſcripta & S. Patribus aliiſque ſcriptoribus Eccleſiaſticis falsò adſcribi, judicium tamen de omnibus quæ inter ſuppoſititia numerantur, non eſt temerè ferendum. (1) Quoniam aliquando metus eſt à ſtudio Partium. (2) Multa quæ olim inter Apocrypha habebantur, hodie à clariſſimis librariis inter genuina reponuntur; & proinde ultimæ editiones creduntur celebriores. De Editionibus & Scriptis Patrum, &c. conſule Labbeum, Dodwellum, Chartoph. Eccl. Ellies du Pin.

CAP. IX.

De Origine, Partitione & Uſu Philoſophiæ ad Theologiam.

Modeſtiam vocis Pythagoræ debemus qui σοφίαν ſoli Deo vindicatâ, cognitionis affectatæ typhum honeſtiſſimè compreſſit; curioſum iſtud ſapientiæ ſtudium quo (Philoſophiæ nomine) gaudet humanum genus. Oritur vel,

1. Ex nonnullis iſtius ſuperbiæ reliquiis, qua fretus in Paradiſo Diabolus, divini mandati, mortíſque periculi, internecinum contemptum ſuggerebat; & etiamnum ſuggerit multoties, imperſcrutabilia rimandi materiam.

2. Vel quantum per Diaboli malitiam licet, ex debito Perfectionis primitùs diſperditæ ſenſu, ex Philoſophia tanquam (poſt naufragam innocentiam) tabula quadantenus reſarciendæ; ídque,

3. Quoties in intellectu admirationem excitant viſibilia mundi, quorum ornatus, ſplendor, motus, cùm à Deo tantùm pendeant, objectum ſunt; contemplationis tantùm noſtræ, & *rerum divinarum* titulo ſignificantur in definitione Philoſophiæ, quæ hac ratione *ſpeculativa* dicitur: vel,

4. Quoties rectæ rationis dictamina voluntati amorem conciliant officiorum in communi vita præſtandorum: quæ quoniam penes nos ſunt, in definitione Philoſophiæ, *humanarum rerum* nomine inſigniuntur, & proinde Philoſophia *practica* vocatur.

Undecunque contingat prædictum ſapientiæ ſtudium, certum eſt, naturali cognitionis appetitui ut ſatisfiat, tum hujus vitæ *felicitatem* eſſe; tum Philoſophiæ *finem*: conſtat igitur Philoſophiam non eſſe unam aliquam ſcientiam, ſed univerſam omnium ſcientiarum Encyclopædium, omnium *Subjecta Principia & Affectiones*, omnium *Fines, Subjecta & Media* ſuo ambitu continentem.

Et ne pro numero individuorum (ſub ſenſu cadentium) in infinitum procederent ſcientiæ, ſubjectum cujuſque ſcientiæ abſtrahitur à ſingularitatibus, & ſub communi & generali notione conſideratur quatenus eſt *communicabile* omnibus ſub ſe contentis, & de iis in propoſitione *prædicabile*: & ne unius ſcientiæ ſubjectum, cum ſubjecto diverſæ

ſci-

ſcientiæ confundatur, diſtinctioni conceptuum noſtrorum conſulitur in Logica, ut certis *definiendi* & *dividendi* regulis, certísque conceptuum *claſſibus*, generum diverſorum, diverſæ *ſpecies*, *differentiæ* & *proprietates* demonſtrabiles, compareant; unde Logica in Scholis *Ars inſtrumentalis* audit, & tanquam Scientiarum *Ancilla* à limine ſalutatur, quando forſan, ſi genuinus ejus uſus, in regulis *conſequentiarum*, *Topicis*, *Methodóque* perſpiceretur, cum præſtantiſſimis Philoſophiæ partibus de dignitate contenderet. Supereſt porrò, ut ad Partitionem Uſúmque Philoſophiæ deveniatur.

Ex ſupradictis patet, ſubjectum cujuſque ſcientiæ qua tale, abſtrahi debere à particularibus, & ſub communi & generali notione conſiderari; & proinde iſtam ſcientiam eſſe primam & univerſaliſſimam, cujus ſubjectum eſt maximè commune & abſtractum à pluribus particularibus & *differentiis*, quibus aliæ ſcientiæ *reſtringuuntur*: qualis eſt Metaphyſica, quæ idcirco *prima Philoſophia* vocatur, ſubjectum habens abſtractiſſimum & proinde maximè commune, quod omnes omnium rerum claſſes tranſcendens, nullis rerum differentiis poteſt reſtringi, quando interea Phyſicæ ſubjectum reſtringitur per Naturale, Mathematicæ, reſtringitur ad quantitatem, Metaphyſica verò tanquam ſui juris, omnes has differentias rerum (ut ſub ſuo ſubjecto contentas) deſpicit, inferioribúsque ſcientiis relictas præſcribit. Si quis objiciat *Spiritus* (veluti Res ſpecialiores) in Metaphyſica conſiderari, prædictæ abſtractioni hoc non obſtat, conſiderantur enim ſolùm ut *Entia in rerum natura*; nam eſſentiales ſpirituum differentiæ & proprietates neceſſariæ, quatenus corporibus opponuntur, inadæquatè à nobis cognoſcuntur,

cuntur, removendo contrariarum qualitatum pugnam, & materiæ corruptibilitatem imperfectionémque, velut ipſis non competentem.

Ubi deſinit Metaphyſica ibi incipit Phyſica: nam Metaphyſica tractans generaliſſima Principia & Attributa omnium rerum, quæ aut ſunt actu, aut per cauſas poſſunt eſſe in rerum natura, eò uſque deſcendit in Entium conſideratione, quoad ejuſdem abſtractioni non repugnat, & ſpirituali ſubſtantiæ ultimò conſideratæ, corpus ei oppoſitum, proximè cognoſcendum occurrit. Quod Phyſica contemplatur quoad communia omnium corporum principia & communes affectiones, (certa ipsâ etiam abſtractione conclusa) individualibus hujus aut illius corporis differentiis experimentali diſquiſitioni relictis. Phyſicam excipit Mathematica, ſi *naturalem* cognitionis *ordinem* reſpicias (etſi *ordine doctrinæ* hanc præcedere mallem, ob rationem infra datam;) nam contemplanti ſubſtantiam materialem, ut opponitur ſpirituali, primo ſubit *Extenſio* partium extra partes, ſecundùm longitudinem, latitudinem & profunditatem; quæ potiſſimum conſiderantur in Mathematica abſolutè & debitâ abſtractione, quamvis ſpecialiùs ad certam etiam materiam deſcendatur.

Jam ſupereſt *Philoſophiæ practicæ* partitio. Honeſtas morum quam recta ratio ad felicitatem in hac vita per debita media aſſequendam dictat, aut hominem reſpicit *abſolutè ſumptum*, boni & mali cognitione præditum, pœnarum præmiorúmque capacem, virtutibus hoc eſt *bonis moribus* informandum, quo nomine *Philoſophia Ethica* generalis ſuccurrit: aut eum reſpicit *certis relationibus aſtrictum*, ídque vel in ſtatu civili, cui *Philoſophiâ Politicâ*, vel Domeſtico, cui *Philoſophiâ Oeconomicâ*

nomicâ cavetur: Quibus omnibus Philoſophiæ, tum ſpeculativæ tum practicæ, partibus, quantum Theologiæ ſtudio ſubvenitur in ſequentibus pro modulo oſtendam. Vide etiam Philoſophiæ Partitionem apud Sanderſonum.

CAP. X.

De Artibus quibus oportet Theologum eſſe inſtructum.

De Grammatica.

CUm res apud omnes *eadem* ſit, conceptus de re *non idem*; & interim *verba* ſint *ſigna* noſtrorum de rebus conceptuum, pluſquam veriſimile eſt, Opinionum diſcrepantias & errores maximos, referri *verborum improprietatibus*, hoc eſt ſignis conceptuum noſtrorum non ritè aſſignatis. Expedit proinde Puerum copiâ verborum eſſe inſtructum, & ſignificationibus maximè propriis exercitatiſſimum, uſu nimirum Autorum quos (honoris ergò) Claſſicos appellamus.

De Methodo Linguæ Latinæ promptiùs addiſcendæ, multi multa ſcripſerunt, ſed utrum Autores ex *Praxi* Grammaticæ, an praxis Grammaticæ *ex Autoribus* meliùs innoteſcat, inter eos non convenit; litibus ego me non immiſceo, liceat tamen etiam & mihi (pace Doctorum) liberè quid ſentiam proferre. Promovent Romani ſermonis cognitionem, *Colloquium familiare*, *Tranſlatio*, *Collectio*, quæ omnia in Gymnaſiis inſignioribus apud nos obtinent.

1. Colloquium Familiare: Duo ſunt quæ impediunt quò minùs colloquium latinum debitum ſortiatur effectum:

1. In Pueris *metus pœnæ:* 2. In Viris *Infirmitas frontis.* Metus pœnæ. Ad Colloquii familiaritatem, præter ſermonis latini perſpectam puritatem, deſideratur etiam προθυμία & facilitas quæ tu ſentis proferendi, infucatâ dictionis ſimplicitate, & non coacto ſed labente ſtilo. Infinitâ igitur opus eſt Exercitatione, & quàm primùm inchoanda; at quantum audaciæ (addam & *Impudentiæ*) *Puerilia* hujus exercitationis tentamina poſtulant? adeò ut quicunque puero jamjam balbutienti opprobrii, aut virgæ, metum incutit, (Priſciano juxta ſoluturo) præſtruat ſanè *pœnæ*, non *linguæ* viam; laudandi ſunt præſidentis pueruli vel *præcoces lapſus*: unde tam facilis in Gallica & Italica lingua progreſſus, niſi ex hac *intrepida peccandi licentia?* Præceptor ſemper facem præferat, quem probatiſſimis autoribus verſatiſſimum, optimorum verborum delectus nunquam deſtituit: Ergò quoties aut falsò aut (quod pejus eſt) barbarè pupillus loquitur, lapſum oſtendat, non *exprobret crimen*; & potiùs erigat ejus animum ſpe profectûs, quàm deſperabundo metu inclinantem impellat.

2. Quod in pueris metus, in Adultis Infirmitas Frontis facit, (niſi dicas infirmitatem frontis aliquid metûs ſecum ferre;) quoties videmus in diſputando victoriam ex ejus partibus ſtare, qui *verborum ſecurus*, unicè verſatur in argumentis inveniendis? Quando interea Antagoniſta *verborum penuriâ* laborans, (ut ut ſagacitate quantacunque alteri præcellens,) in luto hæreat. *Duplex* nempe iſtud

iſtud *Penſum* ne Herculea quidem inventio valet abſolvere, uno & eodem tempore eſſe animo in materiam diſputatam intento, & ſimul de terminis non facilè occurrentibus *anxio* & *impedito*: unde multoties contingit in Syllogiſmo totam vim Argumenti (aliàs nervoſi) unius *impropriæ* vocis ineptâ interpoſitione labefactari. Idem pariter in *Scriptione* & *Converſatione* civili contingit.

Conveniebat non ità pridem Virum doctiſſimum & latina ſcriptione clariſſimum, eſuriens quidam & blaterabundus, cui *neceſſitas* multiloquium latinum conciliaſſet: Mirabar Viro docto (tanquam viſo ſpectro) os obturatum, & vix *tertiatis verbis* ſtolidulo reponentem; unde hoc tanto Viro contigerit, non novi, niſi ex *ſeveriori* illa *Cenſura*, quâ paſſim animadvertitur in *quemvis* Syntaxeos aut Proſodiæ *lapſum*, quaſi grande nefas & perpetuâ infamiâ piandum. Nil mirum igitur, ſi tam cautè agamus, tanquam omnia ad Aras Lugdunenſes dicturi; nihílque audeamus proferre niſi comptum & elegans, (fortè comptiùs & elegantiùs loqueremur ſi loqueremur *liberiùs*) nam metus *conſtringit* animi facultates, & facturus quod in ſe eſt, *ſui juris* eſſe debet.

2. Tranſlatio. Hanc ego proximum aſſequendæ linguæ latinæ medium duco, & compoſitioni anteferendam, cui ſcilicet major verborum copia, ſaniúsque judicium neceſſarium eſt, quàm in junioribus ſolet reperiri. Tranſlatio ſuppetias feret memoriæ & judicio; ſelectiores aliquot *Ciceronis Epiſtolæ* (quales Sturmius compaginavit) & *Terentius*, puerilem calamum primò exerceant; Hoc ſi placet modo. Redditâ anglicè Epiſtolâ aliquamdiu deponatur, uſquedum aliis exercitiis intervenientibus

nientibus paulum deferveſcat *Textûs Originalis* reminiſcentia: deinde eandem Epiſtolam vice versâ (*de ſuo*) latinè reddat, poſtinde comparatione inſtitutâ *ſui* cum *Originali*, oſtendatur ei quantum à Ciceronis elegantia ipſe recedit, adeóque ſenſim ſermonis Romani puritatem ipſe intelliget. Verbum verbo reddere, *onus* erit vertenti, *ſenſus* Autoris maximis reſpiciendus eſt, verbis quantùm fieri poteſt aptiſſimè reddendus, ut aliqua etiam *Patrii ſermonis* ratio habeatur. Et ut in animos puerorum tum verba tum ſenſus Autorum altiores agant radices, teneantur pueri quæ recitant *ſimul* eadem anglicè reddere memoriter, quod in uſu eſt hodiè Viro his artibus valdè inſtructo, qui ſuum hunc mihi morem communicavit.

3. *Collectio Excerpendorum.* Puerili memoriæ (judicii adjumento deſtitutæ,) non eſt uſque adeò fidendum, ut omnia quæ legunt, ſecurè deponi crederentur, futuro uſui inſervitura; hinc mos in Scholis loca inſigniora excerpendi. Sed pueris per ætatem non convenit, delectum memorabilium excerpendorum relinqui: Optimè præibit Tutor notatu digniſſima explicans; ſeu *Sententia moralis*, *illuſtre exemplum*, *Phraſis latinior*, *audacior Metaphora*, *durior Catachreſis*, aut verbum aliquod dubiæ vel *ſignificationis* vel *pronunciationis* occurrat. Collectio eorundem memoriam, explicatio judicium ità firmabit, ut eadem, aut ſimilia, poſt occurrentia faciliùs percipiantur. Nihil frigidum aut elumbe colligatur, ſed quod nervoſum, accutum, ſublime, ut quæ ſolent animi intentionem fortiùs excitare.

Antequam manum de Grammatica, liceat problematicè quærere,

1. An

1. An *ſalebroſa Poeſios* praxis Scholis in uſu, promoveat magìs vel impediat tempeſtivam ſermonis latini cognitionem? Excipio *inſigniora Gymnaſia*, in quibus pueri maturiores inventione pollent & judicio. Interim quid cum poetica *Arcadico* cuivis Juveni & *Aere* & *Patre craſſo* ortum ducenti? Quid *nobilibus*, Albæque Gallinæ filiis, cum praxi poetices? vix tribus annis aſſequendæ, & (poſtquam ſcholæ valedictum) tribus ferè deinde menſibus iterum dediſcendæ; ardua Regni negotia hos poſtulant quamprimùm maturari, *latino ſaltem ſermone* inſtructos, quando interea quantumcumque ſudoris carminibus componendis impenditur, (niſi divinioris Auræ particula portentum ingenii pariat) adeò linguæ latinæ puritatem non promovet ut impediat potiùs; nam quoties vox propria juſtæque ſignificationis à carmine per Metri Leges excluditur, ad vocem aliquam *Barbaram* & *Catachreſticam* aufugitur, non quia ſenſum animi exprimit, ſed quod *Syllabis longis* vel *brevibus* præpolleat. Inſuper miſeranda ſors doctorum Ludimagiſtrorum, quibus conſuetudo imperat hanc pene irritam moleſtiam; quam tædet eos tardiſſimi puerorum progreſſus in arte Poetica? quantum iræ rixarúmque ex lapſibus puerilibus, quos generat faſtidioſa regularum frequentia? Oh quam diſcruciat ingenui pudoris, metuentémque virgæ puerum *pertinax* in ſcanſione ſyllaba? Lectionem Poetarum neceſſariam eſſe, ſermonis Romani elegantia, & ſolutæ Orationis decora pronunciatio (quas ipſis ferè debemus) oſtendit; aſt poſſe totam Proſodiæ rationem, ſermoníſque puritatem calleri, abſque vulgari Poeſios praxi, teſtor humani generis Portentum illud Julium Scaligerum, qui Criticam

ticam in Poetas acutè ſtrinxit, & latinæ linguæ penetralia omnium penitiſſimè introſpexit: quoad Praxin tamen, ipſe Poetis vix mediocribus accenſendus; ſed quoniam à Doctioribus Gymnaſiarchis nonnulli, non facilè recedendum putant à conſueto compoſitionis Uſu (quandoquidem Academicis Exercitiis accenſetuſ,) ad ſupplendum ingenii & inventionis defectum uſui futurum creditur à viris harum rerum callentiſſimis, ut Orationes aliquot (modò nervoſæ & breves) à Livio & Quintiliano in carmina; aut ex Ovidio & Lucano, in Proſam mutarentur. Ratio eſt, quoniam hoc modo tenaciſſimè mentem Autoris aſſequetur, & (de materiâ Inventionis ſecurus) verborum delectui & ornatui Compoſitionis feliciùs incumbet. In votum deſinet hæc brevis in Poeſin ſtrictura, ut ſcilicet inſignis aliquis Gymnaſiarcha, aut ex Regulis *Grammaticalibus*, aut ex *Etymologia*, aut ex *Autoribus*, determinaret quantitatem multorum Vocabulorum, quæ ſunt pronunciationis adhuc ambiguæ, & in commodum puerorum Smetio ſuperadderet, abdicatâ interea, otioſâ iſtâ Carminum Pluralitate, quæ ad indicandam ejuſdem ſyllabæ quantitatem inutiliter accumulantur.

2. Quærere libet, utrum in Gymnaſiis noſtris, vel Seminariis exteris curſus Philologicus citiùs expediatur? Sententiam contra nos fert vulgaris fama; quæ methodo & Claſſium diſtinctioni apud Exteros in uſu, acceptum hoc refert. Paucis nempe, ſdque unius ſolius Claſſis quiſque præficitur erudiendis, adeóque cum paucis, iiſque ejusdem ordinis & ſtudii puerilis, informandis vacet; id unum agens, ut in ſingulari (pro ætate) primorum rudimentorum parte inſtructi, ad ſecundam Claſſem (altioribus ſtudiis reſervatam) porrò promove-

moveri mereantur, nil mirum, ſi *ſolitarius* (ut ſic dicam) Tutor quiſque, meliorem curæ ſuæ rationem valeat reddere, quàm ſi multis *varii ſtudii & ætatis* diſcipulis, *mixtâ & interruptâ* methodo unus invigilaſſet. Vide Rolandi Mareſii Epiſtolas Philologicas, & Voſſii Diſſertationes.

CAP. XI.

Ars Oratoria.

PUdor eſt pauca dicere *Oratori Chriſtiano* quàm neceſſaria ſunt Elementa Rhetoricæ; quæ *ſpeculativè* tradidit Ariſtoteles, & quæ Cicero aliiq; ad *Praxin*, Exemplis illuſtrârunt. Tanti ſunt momenti Theologo, ut quicquid operæ etiam ab *ineunte ferè ætate* eis impenditur, poſſit in lucrum cedere. Omnes officii Oratorii partes & particulas inſequi, Apparatûs brevitas non ſinit. Duo ſunt ob quæ Theologi cætera doctiſſimi multoties vapulant:

1. Stilus turbatior & illimpidus.
2. Rerum benè compoſitarum frigida pronunciatio.

1. *Stilus.* Supradictum eſt de Elegantia purè & apertè dicendi & de verborum delectu, quem Cæſar originem Eloquentiæ dicebat. Per ſtilum hîc non intelligo *ſolicitam nimis* curam Literarum, Syllabarum, Commatis & Coli, & affectatæ compoſitionis oneroſas Phaleras; ſapiunt hæ virum

ſtulto

ſtulto difficilium nugarum labore ineptientem; neque coactam Tullii Aliorúmque in omnibus *Imitationem hyperbolicam:* magna ſunt auſa, & quibus tanti non eſt junioribus *excidere.*

Præcipua, quibus ad perſuadendum opus eſt Theologo, ſunt *concinna* ſententiarum diſpoſitarum *junctura:* Ordo verborum non prorſus *inartificialis*; periodi non parentheticâ interruptione turbatæ; & lene fluens numerus oratorius. Heu quoties dolemus in doctorum virorum ſcriptis *harum rerum* neglectum, lectori moleſtiam faceſſere! Ex omnibus dicendi generibus, junioribus demonſtrativo eſt immorandum, quod aliquando per Synechdochen Encomiaſticum & Panegyricum audit. Latiſſimè patet laudatio, & vituperatio, & Topica in hoc genere, ſive *Perſonæ*, ſive *Facti*, ſive *Rei*, frequentiùs Theologo occurrunt, & fuſiores liberioréſque numeros habentia magis familiariter ſcholam redolent: Sed omnibus adhuc numeris abſoluta non eſt, *Ars Oratoria* nudo *enervis* compoſitionis artificio, niſi *Tropi* inſuper pro re nata accedant, & figuræ, viribus eam vitâque donaturæ, quales in Cicerone contra Antonium, & in Plinii Panegyrico, videre eſt.

Poſt Figurarum Troporúmque definitiones verſibus Farnabianis memoriæ mandatas, expedit ſelectiores aliquas Ciceronis, aliorúmque Orationes, in medium proferre recitandas, *Tutore facem præferente*, expoſitis nimirum, Perſonâ, Occaſione, ſingulis Orationis Partibus, in quibus nempe demiſſior eſt, aut concitatior, unà cum antecedentium & conſequentium contextu; ità ſermonis puritatem, Argumentorum vim, genuinum Figurarum uſum, verámque Rhetoricæ praxin, ſenſim perſentiſcet Puer & ad Stili imitationem animabitur;

tur; Idem pariter de *Deſcriptionibus & Orationibus* apud *Poetas* dicendum.

2. *Pronunciatio* & *Actio.* In recitatione, præter Memoriam, Formatio vocis (quam pronunciationem) & *Corporis* (quam actionem) vocamus, eſt curioſiùs excolenda; cui tanquam à muſculari motu pendenti, in teneris conſueſcere multum eſt, ut Pueri audaciâ polleant (Oratori neceſſariâ) (& *aliena* citiùs quàm *propria* recitando) conquirendâ.

Juſtam & decoram *Vocis*, *Geſtûs*, *Animique* contentionem Oratori & Theologo neceſſariam Natura & Experientia clamitat; ſed Exercitationi plus debet quàm præceptis *hoc* agendi artificium. In genere tamen quæ monet Voſſius, aliíque Rhetorici, quid ni ſubjiciam? Scilicet actionem nec affectari debere metu Levitatis, nec metu Ruſticitatis negligi; vocem eſſe claram, variam, non præcipitem; pro multitudine auditorum intendi, aut remitti; ſed nunquam ad extremum, ne pecces ridendus, & Ilia ducas: In exordiis ſubmiſſam, poſtea inſurgentem, planam, apertam, deinceps acriorem, & tandem excitatam: Verba *articulatè* proferenda, & quando decet *emphaticè*: Res grandes cum *majeſtate*, atroces *concitatè*: Voce gravi *ſuadendum*, magnificâ *laudandum*, iraſcendum voce *incitatâ* & *interruptâ*, *miſerendum* triſti: Corpus eſſe *erectum*, ſed pro re natâ in latera *flexibile*: Vultus lætus, triſtis, blandus, minax, *erectus* & *demiſſus* eſſe debet, pro occaſione: Cervicem *rectam*, ſed non *rigidam*: Humeros non allevandos: *Brachia* non projicienda niſi in *vehementi affectu*; ſiniſtro *Brachio* rariùs utendum: Pectus ſæpe ferire, propè *ſcenicum* eſſe; aliáque infinita, quæ

quæ pro genio cujuſque gentis, & pro conſuetudine cujuſque ſeculi *intenſiùs* aut remiſſiùs obſervantur; in quantum magis vel minùs in Oratore produnt, aut in auditoribus movent, affectus.

Actionem tanti habuit Demoſthenes ut Artis Oratoriæ primas ei, ſecundas imò tertias attribuerit: Et quam pudet eruditam concionem, tremebundâ voce & indecorâ μονῳδία dehoneſtari, quam ſubruſticus & pluſquam fœminilis pudor incutit! ſentiebant hoc Nuperæ Perduellionis Buccinatores ſacri, & proinde (populo ut placerent quas feciſſent Fabulæ) *geſticulationibus* & *clamoribus* vulgi oculis auribúsque lenocinati, tanquam Oraculi traditurí, mox *corda*, *manus*, *gladiósque* ſui juris fecerunt: Tanti intereſt, quantam de te apud auditores *exiſtimationem* feceris!

Gratias agit Oxonienſis Academia Reverendo admodum Epiſcopo, Domino Joh. Fell, Decano Ædis Chriſti, qui Encænia noſtra inſtituit: in quibus coram Auguſtiſſima doctiſſimorum Virorum Coronâ, *Bipedales Pygmæi*: (exiguâ præmuniti exercitatione) declamant, intonant, dominantur.

Hactenus de Artibus quatenus ſermoni latino inſerviunt: Et egregiam ſanè operam Eccleſiæ præſtant Gymnaſiarchæ, qui pueros *his Artibus* inſtructiſſimos, ad Academiam tranſmittunt; ſiquidem *gravius* onus Tutoribus incumbit, adeóq; Progreſſus in Scientiis *tardior* eſt futurus, quoties opus eſt inter Philoſophica & Philologica ſtudia, *diviſam* operam Methodúmque partiri.

Poſt Ariſtotelis Rhetoricam, Ciceronem de Oratore, Quintilianum & clariſſimum Voſſium, ad Praxin Rhetoricæ perutilis eſt Valentini Thilonis Pathologia Oratoria, ſeu affectuum movendorum

dorum ratio, præceptis propoſita, & Exemplis illuſtrata; quibus adde Regii Chriſtianum Oratorem, &c.

CAP. XII.

De Logica, ſeu Rationale Logicæ.

SCientiarum in *Academiis* perfectio & quotidiana inſtitutio, mihi multa dicendi materiam præſcindit; nec is ego ſum, à quo quidquam novi Orbis Philoſophicus expectat; attamen de earundem ad Theologiam uſu, non-nihil proferre, inſtituti ratio poſtulat.

Logica. Obſcuritas Styli in Theologo maximè cavenda, aut oritur ex defectu, aut improprio verborum delectu, (de quo ſuprà,) aut ex *confuſione* & *indiſtinctione* conceptuum, cui ſola mederi poteſt vera Logicæ Praxis, quæ conſiſtit in debita Regularum probè intellectarum applicatione.

Nempe, ut ea quæ *tu* diſtinctè concipis, *alterì* valeas *tam perſpicuè* proponere, ut *eundem* in ipſo, de re propoſita, conceptum generes; deinde de rebus propoſitis quid ſequi debet, hoc eſt, ſi ex rebus propoſitis, aliarum etiam rerum cognitio dependeat, iſtam dependentiam evidenter oſtendere; idque vel *ſtrictiùs* in Syllogiſmo, vel *latiùs* in ſubjecti tractatione fuſiori: nam & *methodo* ineſt vera ratiocinatio, & ea debent præcedere, quæ ſequentium cognitioni maximè conducunt; neque

quidquam poni debet, cujus *Respectus* ad commune subjectum non comparet.

Et quoniam hæc omnia *unicâ* finitæ mentis operatione expediri non possunt, Logica suggerit Regulas singulis operationibus intellectûs dirigendis profuturas. *In prima parte*, cavetur *confusioni conceptuum* distinctis conceptuum nostrorum classibus, quas *prædicamenta* vocant, (nam quicquid in prædicamentis est reale, id considerationis est *Metaphysicæ*; omnes hîc rerum ad res *respectus*, rerum à rebus *differentiæ*, brevi serie admirandóque *Inventionis* Thesauro collocantur.

In secunda parte, res priùs simpliciter & in se nudè consideratas *uniri* posse, docetur; ità ut an *conveniant* inter se *affirmatione*; vel *non conveniant negatione* clariùs innotescat.

Et ne intellectui aliqua confusio suboriatur, ex *mixtione* simplicium terminorum, aliquáque exinde ambiguitate, cavet Logica per Regulas, genuinum mixtorum terminorum, valorem certiùs intelligi; ostendendo eos aliquando *simpliciter*, aliquando ex certa tantùm *suppositione*, aliquando aut in *totum* aut in *parte*, aliquando *necessariò* aut *contingenter*, convenire aut non convenire, unde *opponi*, *æquipollere*, aut *converti posse* dicuntur.

In tertia parte Logicæ, ne qua ambiguitas ex *unione Propositionum*, rei per conclusionem cognoscendæ fucum faciat, abunde cavetur. Etenim quandoquidem veritas conclusionis pendet à veritate Propositionum non in se consideratarum, sed ex *debito* earum ad invicem *respectu*; & omnis Propositio ex terminis simplicibus constat. Regulæ traduntur, quibus recta dispositio & transmutatio termi-

terminorum propoſitionúmque, ſecundùm Figuras & Modos inſtituatur. Et quoniam à deceptione metus eſt, quoties alterutrinque peccatur, eadem terminorum ſignificatio in omnibus propoſitionibus requiritur; & pro valore, quoad *quantitatem* aut *qualitatem*, propoſitionum, quantum in concluſione probatur dijudicare debet; quæ omnia, tam *certis Fundamentis*, *Regulis*, tam *paucis* tam perſpicuis nituntur, ut qui primus, omnium Problematum probationes, in tam *breve Compendium* redegit, *extremas* humani Ingenii *vires* exſeruiſſe videatur.

Porro Theologum paucis volo:

1. Non *uni* Logicæ Syſtemati eſſe addictum; nam infiniti ſunt termini Artis, à diverſis in Ariſtotelem Commentatoribus excogitati, & in doctiſſimorum virorum (præſertim *Scholaſticorum*) ſcriptis occurrentes, quos Theologum ignorare non decet. At in terminis explicandis, non omnibus Logicis eadem eſt felicitas, multoties, quòd in uno frigidè & obſcurè, in alio clarè & nervosè dicitur, quod patet in arte Rationis & arte Cogitandi, &c. patet, ubi termini & rationis fundamenta ſine ambagibus & involucris propalantur: Inſuper Sanderſonum, Walliſium, &c.

2. Non terminos tantum, ſed Regulas, & *veram* Logicæ *Praxin* ſpectari; quanto uſui, Theologo futura ſit vera Logicæ Praxis, teſtor clariſſimum Sanderſonum, cujus ſcriptis quid plenius, ſtrictius, aut magis perſpicuum? Et methodum ſubjectum aliquod diſcutiendi, ad vivum deſcribit in *Praxi Logicæ*, Syſtemati ejus affixâ.

3. In Controverſiis tractandis (ſeu in arte diſputandi) Chamieri methodus ſevera diſputandi, & prædictus Sanderſonus quid utrinque ſit agendum exhibet; & quoniam diſputationis mentio inciderit, liceat hîc adjicere *cenſuram vitii* in diſputatione, & mihi olim & aliis, (forſan & hodiè nonnullis) in uſu; credideramus nempe in dedecus nobis eſſe, ſi ab inſtituto primitus in quæſtionem Argumento, uſque ad finitum exercitium, unquam recederemus, & ad novum Argumentum coacti confugeremus.

Quàm hoc fuerit regulis Ratiocinationis Inimicum jam ſentio; hoc modo neceſſe erat ad alteram (à prima) quæſtionem tranſire; nam poſt aliquot diſtinctiones *cautè* à reſpondente ad infirmam Syllogiſmi Propoſitionem applicatas; argumenti acies plerumque obtunditur, & probabilitas evaneſcit; oſtenſo nimirum, in quo peccat, & veritati vim non facit: Quidni liceat alterum deinceps alterum medium proferre *ſuccenturiatum*, quoad mora diſputationis poſtulaverit; videmus hoc factum à *Scholaſticis*, poſt unam aut alteram replicationem, reſponſo ſuccumbentibus; aliàs neceſſe erit ad novam quæſtionem, aut ad fallacias confugere; eſt quidem & Sophiſticæ ſuus uſus; nam præter voluptatem *texendi* & *retexendi* nodos, acuunt ingenium, intentionem excitant, & *expiſcandæ* veritati aliquatenus conducunt; ſed quoties reſpondens fallaciam ſentit palmæ ſecurus, non inſanum eſt & ridiculum, in Duello Philoſophico, *fracto jam telo*, pugnæ velle inſiſtere?

Sed ut *Pugnum Logicum* contraham, duo ſunt de quibus utpote Theologo apprimè neceſſariis par hîc eſt fuſiùs diſſeruiſſe: De *Topicis* & *Methodo*, ſed

ſed obſtat primo Propoſiti *brevitas*, & ſanè ſecundò quod *non dicam*. Vide librum cui Titulus, Summa Totius Logicæ per D. Stearn Archiep. Eboracenſ.

CAP. XIII.

De Metaphyſica, Mathematica, Phyſica.

AButitur Lectoris otio quiſquis Philoſophiam Theologiæ utilem eſſe, multis contendit; & paucis oſtenditur, quàm neceſſaria Theologo ſit ſpecialior *Metaphyſicæ* cognitio: ut Logicam excipiat, poſtulat Terminorum communitas, quia quicquid notionibus in Logica uſurpatis ſubeſt reale id in Metaphyſica explicatur. In hac Scientia tractatur, Unitas, Simplicitas, Suppoſitum, Perſona, Identitas & Diſtinctio, Infinitum, Perfectum, Duratio, Neceſſitas & Contingentia, Permanens & Succeſſivum, Principium, Cauſa, Subjectum, Signum, Prioritas, Relatio, Privatio, Bonum & Malum, &c. *ſine quorum præcognitione* quid ſanum in Theologia, quoties de Deo, déque Attributis ejus & Perſonarum in divinis diſtinctione agitur? Quis finis controverſiis, ſanè & hæreſibus eſt futurus?

Quid aliud Gigantem Conradum Vorſtium in cœlum animavit? ut Dei Infinitatem comparatione ſolâ, Omnipotentiam cum impoſſibili, Simplicitatem cum compoſitione, Omnipreſentiam cum limitibus, & Æternitatem cum ſucceſſione peſſundare fatageret? Quid dicam de Antitrinitariis

aliíſque, &c. ſed brevis eſſe laboro—— Hoc unum ſuper adjiciens, Metaphyſicæ imperitis à *Scholaſticis* prorſus abſtinendum, ne ſcilicet Scriptorum *obſcuritate* pugnent *Andabatæ* Theologici. Poſt prælibatas in Scheiblero terminorum explicationes, Suareſius, Doctorum calculo ſpectatiſſimus eſt in quo Scholaſticorum, *Dogmata*, *Sectas*, & *Argumenta* comperies. Sed *ſcopus propoſiti Apparatûs* poſtulat, hîc obiter moneri juniores, quædam de Dei *Præſcientiâ*, *Decretis*, *Concurſu*, *libero Arbitrio*, *Trinitate*, *Accidentibus*, *beatificâ Viſione*, ſubtiliter diſputata, à nonnullis viris doctis *ſingillari:* Atq; utinam Suareſius, aliíque, à tam curioſa de Deo & Spiritibus diſquiſitione, modeſtiùs abſtinuiſſent.

Mathematica. Tempus iſtud quod in Scholis privatis *componendis Carminibus detrahi* ſuadebam, poſt debitum in Latino ſermone profectum, utilius forſan Elementis Mathematicæ concederetur; ut vis *imaginativa* in pueris *vagabunda*, certis quaſi terminis circumſcribi conſueta, preſſiùs rem propoſitam aſſequi, & attentiùs perpendere valeret, *viribus* cogitationum hoc modo quaſi *unitis*. Et quis dubitat pueros, Autores claſſicos majori cum voluptate & utilitate perlecturos ſi ſimplici verborum ſententiarúmque expoſitioni accederet porrò *Geographica* quædam, & *Chronologica* rerum hiſtoricarum *Cognitio*, Phantaſiæ, Memoriæque profutura: Præſtabit hanc, certa Temporis per Epochas quaſdam diſtributio, & præmaturus Globorum uſus, horis ſucciſivis vel feriantibus propinandus.

Ut ut hoc ceciderit; curſum Philoſophicum Theologiæ præmittendum, perfici non poſſe nedum rectè inſtitui, abſque conſilio cum Euclide

inito, doctiſſimus quiſque conſentit: *Nexus* iſte *neceſſarius* inter præmiſſas & concluſionem, quem præcepta Logicæ in omnibus probationibus requirunt, in hac ſcientia ferè *palpandus* proſtat; & ſedulò obſervanti conſtabit, neminem in omnigenis Ratiociniis, magis evidenter, *preſſiùs*, *firmiùsque* concludere, quàm in ſtudiis Mathematicis verſatiſſimus quiſque: conſultiùs duxi Matheſin Phyſicæ præponere, quia mens hactenus, tantum ſecundis notionibus & *abſtractionibus* Metaphyſicæ vacans, adhuc *purior* eſt & ſenſibilibus objectis nondum præflorata. D. Barrow in Euclidem, de Methodo in his Studiis conſule peritos.

Phyſica. Poſtquam hujuſmodi ſpeculationibus firmatur Ars cogitandi, licebit infra has abſtractiones ad Phyſicam deſcendere, & rerum naturalium principia *Peripatetica* ex Sennerto, *Atomica* ex Gaſſendi Syntagmate diſquirere, & an his vel illis viſibilis mundi Phænomena feliciùs explicentur, obſervare. Mirabilia Dei quis non ſtupebit, qui cœleſtium corporum Splendorem, Ordinem, Motúmque rerum ſublunarium Varietatem, usúmque; Vegetationem, Senſationémque inextricabilem; & præ cæteris admirabilem corporis humani ſtructuram, Animæque *immaterialis*, operationes (in *materia* & à *materia* dependentes) ſeriò conſideraverit. Ex quibus Apoſtolus ad Romanos primo Inviſibilia Dei, non ſpeculativè, ſed practicè cognoſcenda *inexcuſabilibus* Ethnicis exprobravit. Quanta ſuppetit ex hinc Theologo, non contemplationis modò, ſed debitum Dei Honorem Cultúmque prædicandi materies. Quid dicam de Parabolis & Metaphoris ex intimis Naturæ penetralibus petitis, quibus exponendis rerum naturalium

cognitio maximopere prodeſt? Siquidem Parabolicas locutiones illuſtriores facit, notitia rerum, quando Animantûm, Lapidum, Herbarum, &c. Naturæ ſunt perſpectæ. Hinc ſcripti ſunt varii de Herbis & Animalibus Biblicis libri. Vide Lemnium aliósque qui Scripturæ Philoſophiam tractârunt. Vide Eccleſiaſten Wilkinſii.

CAP. XIV.

De Ethica.

Ethica. Ex prædictis Artibus & Scientiis aliquam in Judicio *maturitatem* licebit expectare, & cogitationes aliquouſque *ſubactas*, quas Moralis Philoſophiæ ſtudio præire voluit Ariſtoteles, qui Juvenem, hoc titulo, inidoneum vel auditorem non ſuſtinebat. Mediocris quidem Ethicæ, Politicæ, & Oeconomicæ cognitio per ſtatuta ad capeſſendum gradum requiſita, mox poſt Metaphyſicam doceri ſolet. Verum quatenus honeſtas morum per veram Religionem accuranda, Theologo promovenda incumbit, ulteriùs differendum duxi ſeverius Ethicæ ſtudium; quia principia humanarum Actionum, ſcitu maximè neceſſaria, ſagacitatem pluſquam vulgarem exigunt.

De *Voluntario* & *Involuntario*, de *Objecto*, *Fine*, & *Circumſtantiis* humanarum Actionum; de *Conſcientiæ Legúmque Obligatione*; de *terminis* cuique virtuti *inter extrema* aſſignandis; de *Paſſionibus* quouſque nempe in fuga Mali & Boni perſecutione *inculpatè* proceditur; & infinitis caſibus ſcrupulísque

lísque ſuccreſcentibus, (ut vir bonus cujuſcunque vitæ & ſtatûs, ad rectæ Rationis normam ſeſe componat,) certos officiorum limites deſcribere, quibus Humani Generis, Rerum Publicarum, Familiarum, Viciniarúmque paci & felicitati conſulitur, ut *Theologum* maximè ſpectat, ità maximè *prudentem*; & quid ſi tardiùs ad iſtud ſtudium accedatur, cui *quoad vivitur* incumbendum? Hæc ne gratis dicta videantur, oſtendam paucis: Ariſtoteles in definiendis virtutibus in genere præcipit, medium teneri, exceſſum & defectum vitari, hoc eſt certos mediocritatum terminos inter parùm & nimium interjectos eſſe, prout rectæ Rationi conſentaneos *vir prudens* definiverit. At quantum experientiæ & obſervationis requiritur, ut, pro locis, temporibus, perſonis, aliiſque circumſtantiis *quid fieri oportet intelligatur?* Quid ſit *recta Ratio*, & *Prudentia*, quæ in Moralibus dominatur?

Magirus in Ariſtotelem, Crellius, Whitbæus, item Gregor. de Valent. & Cajetanus in Thomæ ſummam, Interpretes Decalogi, Proverbiorúmque, Ciceronis Officia, Epictetus Arriani, Stobæus.

CAP.

CAP. XV.

De Jure.

DE Jure ſimpliciter dicto, tum Naturali tum Gentium, conſule Ethicos, Politicos, Juriſconſultos, quales ſunt Grotius de Jure Belli & Pacis, Franciſcus à Sancta Victoria, Albericus Gentilis, Sharrochius de Officiis, Puffendorphius, &c. De Jure Civili. Inſtitutiones, Elementa Zouchii, de Regulis Juris Bronchorſtius. De verborum ſignificationibus Corvinus. De Jure Canonico Inſtitutiones Lanceloti, Corvinus. De Principiis & Regulis Deciſionum utiliſſimis in Practicis & Caſibus utriuſque Juris, Auguſtinus Barboſa: ſed de his aut aliis Autoribus mallem te, per Legum Doctores certiorem fieri: Interim Juris *Civilis* & *Canonici* Theologo quàm ſit neceſſaria cognitio exinde conſtat, quod Honeſtati Morum per leges cavetur, & in quantum ad Actionem obligant Regularum rationem induunt, quarum interpretationis modus à *Fine*, à *ſubjecta materia*, à *verborum ſignificatione*, à *Regulis Juris* eſt petendus, ut innumeris caſibus ex iiſdem oriundis, obviam eatur. Quantum inde lucis primæ decalogi Tabulæ per conſtitutiones, de *Cultu Dei*, de *Fide Catholica*, de *Sacroſanctis Eccleſiis*, *Epiſcopis*, *Clericis*, *Hæreticis*, & de *Juramentis*, traditas: Hinc varii ſtatus Relationes & Officia Hominum quinto Præcepto explicantur. De *Injuriis*, *Homicidiis*, *Adulteriis*, *Nuptiis*, *Divortiis*: de *Rerum Dominio*, *Furtis*,

Furtis, Sacrilegio, Teſtamentis, Legatisque: de *Teſtibus, Acculationibus, Probationibus, Exceptionibus:* de *Terminis movendis*, Finibúsque regundis: & aliis infinitis à *Decalogo* ortum ducentibus, & ad Decalogum perfectè explicandum, præcognoſcendis.

De Jure Naturali Hebræorum, ſeu de Eccleſiæ aut Reip. veteris Hebraicæ, tam in Foro quàm in Scholis, Placitis. De Jure Hebræorum cum aliis etiam Gentibus communi, in Contractibus, Nuptiis, Servitute, Fœderibus, Captivis, Tributis, &c. inquirendum eſt. Poſſevin. Bibl. ſelect. lib. 2. cap. 22.

Ab Exitu Iſraelitarum, ex quo cœpit Theocratia Theologum latere non debet, quibus *Moribus* & *Inſtitutis* Princeps iſte Populus regeretur. Principem dico cui nempe vicinus Orbis undiquaque mirabundus aſſurrexit, ut eſt in *Deuteron.* 4. *Hæc eſt ſapientia veſtra coram populis, ut audientes univerſi hæc Præcepta dicant: En populus ſapiens & intelligens, Gens magna; nec eſt alia Natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſic inclyta, ut habeat Ceremonias, juſtáque judicia, & univerſam Legem, quam ego proponam hodiè ante oculos veſtros.*

Quod ſi *Rudibus* adhuc & veri Dei *ignaris* gentibus, tantam ſui admirationem vel ſolâ *Auditione* Hebræorum Politia concitaverit, non pudor eſt Chriſtianos in aliarum Rerumpublicarum Origine & Conſuetudinibus diſquirendis impenſiùs immorari, interim ſeorſim habitâ gratiſſimâ, pace, belloque celeberrimæ Gentis, *Hiſtoriâ?* Quæ tam illuſtria Divinæ Providentiæ monumenta, tot Prudentiæ, Fortitudinis & Pietatis exempla, tot Bellorum, Victoriarúmque miracula, *ſuccinctâ*

metho-

methodo, *tantáque Narrationis ſimplicitate* prodit, ut abunde ſuppetat, ex quo *Religio* pios, & infinita materies, *curioſos* operæ-pretii ſecuros reddat, & præſtruat certiore calculo *profanis Hiſtoriis* fidem; adeò ut, quiſquis poſtpoſitâ v. Teſtamenti Lectione, multus in *Antiquitate* videri cupit, aut *Atheus*, (aut fortè quod ægriùs vellet) *ſtultus* audire mereatur. De Gentis Populíq; Hebraici Vetuſtate, Dignitate, Prærogativâ, Placitis, Sententiis, Moribúsque receptis, avitísque, cognitio eſt neceſſaria: quis enim innumeros in V. Teſtamento nodos *Iſraelitarum inſtitutis* nitentes? Quis alluſiones in novo, *Synagogam ſpirantes*, unquàm explicabit, qui cognitum priùs non habuerit, ex Ægypto migrantis populi ſtatum, & à vicinis gentibus Idololatrici contagii, morúmque turpitudinis periculum? Egregiam igitur operam ſcripturarum ſtudioſis præſtiterunt viri docti, qui, quæ ſparſim apud Autores varios, *reconditósque*, habentur de politia Hebræorum Commenta, in Compendium redegerunt. Hi Jura, Leges, Conſuetudines & Judicia, otio noſtro conſulentes, ob oculos poſuerunt: Sigonium volo, Menochium, Seldenum, Spencerum aliósque: imperſcrutabilibus, Circumciſionis, Sabbati, Ciborum, Animalium, & Sacrificiorum ritibus, (à multis nudo abſoluti Dominii jure, ſervili populo imperari creditis) ſuam ſubeſſe Rationem, eruditi viri demonſtrârunt, Providentiam abſolventes.

CAP.

CAP. XVI.

Index Materiarum Theologicarum.

Tit. 1. *De Cœlo.*

Cap.
1. De Deo.
2. De Deo Patre.
3. De Chriſto.
4. De Spiritu Sancto.
5. De Trinitate.
6. De Angelis.
7. De Sanctis.
8. De Judicio extremo.

Tit. 2. *De Inferno.*

1. De Dæmone.
2. De Animabus Impiorum.
3. De Pœnis Infernalibus.
4. De variis Ordinibus Spirituum malorum.
5. De Magia & Magis.

Tit. 3. *De Mundo Viſibili.*

1. De Operibus ſex dierum.
2. De Paradiſo.
3. De Homine in ſtatu Naturæ integræ.
4. De Peccato.
5. De Homine in ſtatu Naturæ corruptæ.
6. De Pœna Peccati.

Tit.

Tit. 4. *De Homine cum respectu ad Felicitatem.*

Cap.
1. De Summo Bono.
2. De Jure Naturali.
3. De Officiis erga Homines absolutè sumptos.
4. De Jure Gentium.
5. De Jure Civili.
6. De Officiis Politicis.
7. De Officiis Oeconomicis.
8. De Officiis erga Homines Bonitate & Malitiâ distinctos.
9. De Principiis Humanarum Actionum.
10. De Intellectu.
11. De Habitibus Intellectualibus.
12. De Conscientia.
13. De Habitibus Menti infusis.
14. De Voluntate.
15. De Virtutibus & Vitiis oppositis.
16. De Appetitu sensitivo & Affectibus.

Tit. 5. *De Homine cum respectu ad Religionem.*

1. De Religione ante Legem.
2. De Idololatria & Gentilismo.
3. De Religione sub Lege, seu Judaismo.
4. De Religione post Legem, seu Christianismo.
5. De Mahumetismo ex omnibus conflato.

Tit. 6. *De Revelatione Voluntatis Divinæ in V. T.*

1. De Partitione V. Testamenti.
2. De Pentateucho.
3. De Mandato Primo.

4. De

Cap.
4. De Mandato Secundo.
5. De Mandato Tertio.
6. De Mandato Quarto.
7. De Mandato Quinto.
8. De Mandato Sexto.
9. De Mandato Septimo.
10. De Mandato Octavo.
11. De Mandato Nono.
12. De Mandato Decimo.
13. De Lege Ceremoniali.
14. De Lege Judiciali
15. De Scriptis Hiſtoricis.
16. De Scriptis Propheticis.
17. De Hagiographis.
18. De Apocryphis.

Tit. 7. *De Revelatione Voluntatis Divinæ in Novo Teſtamento.*

1. De Partitione Novi T.
2. De Evangeliis.
3. De Epiſtolis.
4. De Apocalypſi.
5. De Sacramentis in genere.
6. De Baptiſmo.
7. De Euchariſtia.

Tit. 8. *De Homine cum reſpectu ad Eccleſiam.*

1. De Eccleſia.
2. De Confeſſionibus Fidei Eccleſiæ univerſalis.
3. De Confeſſionibus Fidei Eccleſiarum Particularium.
4. De Rebus Eccleſiaſticis.

5. De

Cap.

5. De Sacrilegio.
6. De Miniſterio Eccleſiaſtico.
7. De Perſonis Eccleſiaſticis.
8. De Apoſtolis.
9. De Viris Apoſtolicis.
10. De Patribus.
11. De Imperatoribus.
12. De Conciliis.
13. De Hæreticis.
14. De Schiſmaticis.
15. De Pontificiis.
16. De Pontificibus Romanis.
17. De Profeſſoribus Juris Civilis.
18. De Profeſſoribus Juris Canonici.
19. De Scholaſticis.
20. De Caſuiſtis.
21. De Proteſtantibus, ſeu Reformatione.
22. De Proteſtantium Sciſſione, ſeu Subreformatione.
23. De Lutheranis.
24. De Anabaptiſtis.
25. De Calvinianis.
26. De Socinianis.
27. De Browniſtis ſeu Separatiſtis.
28. De Arminianis.
29. De Patronis Epiſcopatûs
30. De Presbyterianis.
31. De Independentibus.
32. De Antinomis.
33. De Libertinis.
34. De Enthuſiaſtis.

Tituli

Tituli primi Caput primum Sectionibus impletum.

Caput de Deo.

Sectio.

1. De Existentia Dei.
2. De Cognoscibilitate Dei.
3. De Substantia Incorporea.
4. De Simplicitate.
5. De Unitate.
6. De Veritate.
7. De Bonitate.
8. De Immensitate.
9. De Æternitate.
10. De Immutabilitate.
11. De Invisibilitate.
12. De Intellectu.
13. De Voluntate.
14. De Impletione Voluntatis Divinæ.
15. De Libertate.
16. De Potentia.
17. De Sapientia & Scientia.
18. De Ideis Divinis.
19. De Decretis Divinis.
20. De Ordine Decretorum Divinorum.
21. De Objecto Prædestinationis.
22. De Creatione Mundi.
23. De Jure Dei in Creaturas.
24. De Conservatione.
25. De Gubernatione seu Providentia.
26. De Præscientia.
27. De Fato.
28. De Concursu cum libero Arbitrio.
29. De Attributis Dei per modum Habituum.

30. De Attributis per modum Affectuum.
31. De Attributis per Anthropopathiam.

Tituli primi Caput tertium Sectionibus impletum.

Caput de Christo.

Sectio.

1. Prædictiones de Christo.
2. De Conceptione ejus per Sp. Sanctum.
3. De Nativitate.
4. De Deitate.
5. De Consubstantialitate.
6. De Humanitate.
7. De Assumptis Defectibus.
8. De Naturarum Unione.
9. De Voluntatibus Christi.
10. De Proprietatum Communicatione.
11. De Personæ Unitate.
12. De Beata Virgine.
13. De Circumcisione.
14. De Baptismo.
15. De Scientiæ Christi Incremento.
16. De Discipulis Christi.
17. De Sermonibus Christi.
18. De Oratione Dominica.
19. De Miraculis.
20. De Officiis, Prophetico, Regali, Sacerdotali.
21. De Passione.
22. De Satisfactione.
23. De Extensione Satisfactionis.
24. De Justificatione.
25. De Morte ejus.
26. De Descensu ad Infernum.
27. De Resurrectione.
28. De Apparitionibus.

29. De

Sectio.
29. De Ascensione.
30. De Sessione ad dextram Dei.
31. De Intercessione.
32. De Adventu ejus Secundo.
33. De Millennio.
34. De Antechristo.

Eodem modo quælibet *Sectio Subsectionibus* impleri debet, quoties aliquid materiæ Theologicæ inter legendum occurrit, ut distinctâ quasi Classe, certóque communi loco reponatur, idque nullo ferè negotio, in usus futuros expromatur. Initium sumat Lector à Tractatibus pereruditis Scriptorum nostrorum quibus hoc seculum abundat, materiâ cujusque Tractatûs, secundum capita prædicti Indicis dispositâ.

Methodum disponendi hos locos communes in libro capitum, ut vocant si desiderat Lector, adeat Appendicem posteriorem Sandersoni & Wilkinsii Ecclesiasten, item Gesnerum, Draudium, Bolduanum, aliósque de Capitibus & Locis Communibus Collectionibus digerendis maximè necessariis.

Apparatus Specialis
AD
THEOLOGIAM
PARS I.

CAP. I.

De Munere Scholastico & Polemico.

MIrandum foret *Pacificam* Evangelii Doctrinam, succrescendis *Controversiis* materiam fuisse, si non, Inimici Hominis *Zizania* bono semini commiscenda Salvator indigitâsset. Hinc infaustum *Hæreticorum* genus; hinc à *Patribus* in Patres, ab *Ecclesia* in Ecclesiam, à *Conciliis* in Concilia, satis pro Imperio actum.

Sed uberrima Controversiarum seges videtur orta ex quo S. Scripturæ ad Patrum primo scripta, deinde ad Aristotelis placita, in Scholis exigi cœperunt, quod aliquot à Lombardo seculis factum erat à Theologis quos *maxime propriè* Scholasticos

vocant: Qui nempe ſacrum ſtudium in ſtrictiorem Methodum, & Ordinem quendam reducebant, materia ex S. Scriptura, & Patrum Interpretationibus, Sermonibus, Homiliis, &c. hauſtâ, & Philoſophorum Dogmatibus (maximè quoad Praxin) illuſtratâ & confirmatâ. Peripateticorum, non Platonicorum, ut juſtiſſimâ Cenſurâ notat H. Dodwellus in Præfatione ad Epiſt.

Ad minuendum iſtum *Contemptum*, quo *omnes ſine diſcrimine*, ſcriptores Scholaſtici hodie laborant, conſului operoſas doctiſſimorum virorum (tum Proteſtantium, tum Pontificiorum) Elucubrationes, de Scrpitoribus Scholaſticis, & Theologiâ Scholaſticâ; præcipuè Trithemium, S. Senenſem, Bellarminum, Baronium, Centuriatores Magdeburgenſes, Poſſevinum, Danæum, Voetium, G. Hornium, P. Labbeum, D. Guliel. Cave, Joh. Launoium, &c. Ex quibus omnibus inter ſe collatis, ſuppetebat mihi hujus Compendii materia, quam novâ Methodo adornavi, non mero *Novitatis ſtudio*, ſed ut Hiſtoriam Theologiæ Scholaſticæ *ex ſe ſatis obſcuram*, quâ poteram luce donarem.

Proinde, quæ à nonnullis ſcripta ſunt, ſæpe *obiter*, ſæpe *confusè*, ſæpe *maximâ* Paginarum, Librorum & Voluminum *diſtantiâ*, ab invicem diſſociata, methodicè diſpoſui: In ſcriptis eorum qui eandem materiam de induſtria tractârunt, (tum Hiſtoricorum tum Theologorum) multa reperi propoſito meo convenientia, quædam hinc & inde excerpſi: *Laxiùs* apud eos dicta *contraxi* conſtrinxíque, *ſtrictiora ampliavi, explicuíque*; clariſſimis inſuper Scriptoribus Eccleſiaſticis ſeriatim adjectis, ut de *Infantia*, *Adoleſcentia*, *Juventute* &

& *Senectute*, Theologiæ Scholasticæ, déque *Vitiis* & *Virtutibus* ejus manifestiùs constaret.

Liceat hîc mihi Trithemii verba describere, quibus liber de Scriptoribus Ecclesiasticis (sæpiùs à me commemoratus) clauditur. *Hunc Catalogum jam tertio emendavi, augmentavi, complevi, per Septennium in eo laborans: Lectorem monemus & obsecramus, ne facile contra nos moveatur, si scriptorum Nomina, Dignitates, Patriam, & Opuscula secus exarata invenerit, quam ipse forsan alibi legit; cum Historicorum dissonantiam, nemo unquam poterit reconciliare.* Monendi sunt juniores (*quorum utilitati* studetur,) Hoc à Trithemio jure merito dictum: Nam quamvis in eruendis Ecclesiasticis scriptoribus egregiè sudaverit, admirandóque *Scriptorum auxilio* beaverit Remp. Literariam, quid ni tamen expertus dicam, *in Annis* Scriptorum (præcipuè Anglicanorum) enumerandis, Fidem ei temerè non esse adhibendam; quódque studiosos pessimè habet, sunt multi ex clarissimis viris qui Trithemium sequentes *ejus errores errant:* P. Labbeus & Chartophylax Ecclesiasticus Guliel. Cave, Junioribus erunt magno usui.

CAP. II.

De prima Ætate seu Infantia Theologiæ Scholasticæ, scil. ad Johannis Damasceni & Bedæ seculum.

QUandoquidem cum *Fide* magis quàm cum *Scientia* res erat Evangelio, & Praxin potiùs quàm Disputationem nascentis Ecclesiæ simplicitas postulavit; non est mirandum quod *Philosophiæ secularis & sophisticæ*, in Apostolorum scriptis mentio occurrat tam parum honorifica. Morigeram *Doctrinæ Evangelicæ* susceptionem Philosophi *Stultitiæ* imputârunt: & prædicanti S. Paulo multo plus molestiæ facessebant *Disputabundi Græci* Logicæ principiis nixi, quàm Romani *Oratoriæ soli* vacantes. Ecclesiæ primitivæ Doctoribus (Apostolis succedentibus) præcipua erat cura, in movendis Auditorum Affectibus & Obedientiâ Fidei prædicandâ.

Infinitus erat iste labor, quem in legendis & interpretandis S. Scripturis apud cœtus suos Patres impenderunt: Hinc *Sanctitatis*, hinc *Doctrinæ* fama ipsis apud posteros meritissimè conciliata. Quæ quanta fuerit exinde colligitur; quod ex quo Originalium Linguarum imperitia S. Scripturas intellectu difficiliores reddidisset, Divinæ Revelationis sensus *ex Patribus* quæreretur, & Patrum autoritate declaratus: adeò ut ex *Patrum Scriptis* Viri docti *Collectiones* quasdam instituerint, quæ demum in *Sententias* & *Summas* maturuerunt.

Græ-

Græcorum Patrum Theologiam, libris *variè ſparſam* fuſéque tractatam, in unum Damaſcenus collegit, & certis locis diſtinxit: Cujus ad exemplum Latinorum Patrum *(præſertim Auguſtini)* ſententias adeò præclarè compegit P. Lombardus, ut *Magiſter Sententiarum* diceretur: unde conſtat ratio novæ Methodi quâ ego uſus ſum, in Infantia Theologiæ Scholaſticæ exquirendâ, & cur nec convenit mihi cum *Pontificiis* qui primam ejus ætatem à primis Patribus deducunt, nec cum *Proteſtantibus* qui eam Lanfranco adſcribunt circa Annum 1060.

1. Patet Theologiam Scholaſticam *infantilem* fuiſſe uſque ad Joan. Damaſcenum, qui (teſte Poſſevino) eam à Græcis Patribus fusè traditam & variè ſparſam in unum quaſi collegit; adeò ut cur in Clem. Alexandrino infantiam exuiſſe crederetur non conſtet.

2. Joan. Damaſceni ratio maximè haberi debet in Origine Theologiæ Scholaſticæ inſtituendâ, quoniam Ingens in Occidente Lombardus, *ad ejus methodum* ſe totum compoſuit, fatente Poſſevino.

Erat Damaſcenus æqualis Bedæ Venerabilis, unus Orientem alter Occidentem illuſtravit, Bellarm. de Scriptoribus. Vitâ & Doctrinâ clarus, Sigebert. Nulli ſecundus, Suidas. Egregiè eruditum & magni nominis eum vocat Ger. Voſſius, etſi fateatur Fidem in Hiſtoricis ejus deſiderari: Primus ille Commentaria Græca, Autoréſque congeſſit, & univerſam Theologiam, ordine, & in morem Diſciplinæ comprehendiſſe & conformâſſe perhibetur.

Cùm

Cùm tamen (ut de Græcis Patribus dictum) Latinorum Patrum ſcripta, ex Prælectionibus, Diſputationibus, Epiſtolis, Homiliis nondum erant in Synopſin collecta, & *in ordinem redacta*, ſanè Theologia non incongruè cujuſdam *Infantiæ* ſpeciem præferre cenſeatur.

CAP. III.

De ſecunda Ætate & Adoleſcentia *Theologiæ Scholaſticæ.*

QUalis qualis erat Occidentalis Theologiæ, adhuc indigeſtæ, facies, certum eſt ingens Latinorum Patrum ſcriptis pretium accreviſſe ex Gregorii verè Magni, & Bedæ verè Venerabilis autoritate, Virorum ſui ſeculi Doctiſſimorum, Optimorúmque. Poſt Bedæ exitum circa A. C. 735. Philip. Labbeus: *Adoleſcere* cœpit, & paulo ornatiùs incedere ſtudium Theologicum, auſpiciis nempe Alcuini, V. Bedæ auditoris præclariſſimi, Latinè, Græcè, Hebraicè doctiſſimi, Rhetoris, Philoſophi, Mathematici, & Theologi Nobilis, teſte Voſſio. Autor erat Alcuinus ille (qui claruit circa A. C. 790. ut Labbeus) Carolo Magno Imperatori, (præter alia Doctorum Collegia) illuſtriſſimæ Academiæ Pariſienſis inſtituendæ, infinitæ Eruditionis, multarúmque poſtinde Scholarum in Occidente fœcundiſſimæ Matris, ut Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogiſtæ docent: Obiit 804. Chartoph.

Alcuini

Alcuini discipulus erat Haymo Anglo-saxonicus qui claruit circa 830. Ep. Halberstadiensis *in Declamandis Homiliis ad populum celeberrimæ industriæ teste Trithemio*; *& Commentariorum in multos S. Scripturæ locos Autor*: *Instructus accessit ad functiones, sacrarum & philosophicarum Literarum Scientiâ, Facundiâ & Autoritate Sanctitatisque opinione; usus est in exponendis Psalmis, mirâ brevitate, simplicitate, perspicuitate, juxta Erasmi censuram. Centur. Magdeburg.* Obiit 853. Labbeus, Chartophylax Ecclesiasticus.

Alcuini etiam discipulus erat Rabanus Maurus Germanus, qui clar. circa A. C. 850. *Cui nec Italia similem, nec Germania peperit æqualem*, Trithemius.— *Vir omnium Disciplinarum cognitione absolutissimus, cui nullum parem eo seculo Germania habuerit*, S. Senensis. *Doctissima in S. Scripturam Commentaria composuit, ad Ecclesiæ & Posteritatis utilitatem*, Centur. Mag. Obiit 856. Labbeus, Chartoph. Eccl.

Rabani auditor erat Strabus vel Strabo Teutonicus Fuldensis Monachus, *Vir Divinæ Scripturæ peritissimus, qui Glossam Ordinariam ex dictis S. Patrum primus comportavit in universam S. Scripturam, quæ erat à posterioribus ampliata*, Trithem. claruit circa A. C. 840.

Remigius Monachus Bened. Antissiodorensis Ep. *in Divinis & Humanis Literis Eruditissimus*, S. Sen. 880.

Aliis missis ad Lanfrancum venio, in Dialectica suo tempore omnium opinione doctissimum; Natione Italum, Ep. Cantuariensem, clar. circa A.C. 1060. Trithem. Strictiùs hoc seculo & scriptum est & disputatum. *Lanfrancus, præter alia, Scripta S. Patrum Amanuensium vitio corrupta, secundùm Ortho-*

Orthodoxam Fidem correxit. Cent. Magd. Adeò ut plerumque Ortum Theologiæ Scholasticæ ei tribuant Viri clarissimi: sed (præter ea quæ suprà dixi) cur Lanfrancus autor Theologiæ Scholasticæ reputari non debet, ratio peti potest ex eo, quod Petrus Lombardus Damascenum imitatus esse dicitur, misso Lanfranco, quod certè nunquam feciſſet, si Lanfranci methodus, adeò perfecta fuisset & scholastica.

Anselmus Italus Ep. Cantuarienſis Lanfranci auditor, hanc novam Theologiæ methodum, promovebat, claruit circa A. C. 1090. *Græcè & Hebraicè doctus, multâ lectione Patrum & Historicorum, S. Literarum Expositione operâ non vulgari, egregiâ Religionis curâ, & Hæreticis refutatis, præstabat, & in tractatione S. Scripturæ Augustino potissimum nitebatur.* Centuriatores Magdeburg.

Erat alter etiam Anselmus Gallus scholasticus, qui aliquot post eum annis claruit, *quique novo Expositionis genere, utriusque Testamenti Scripturas Glossâ interlineari & Marginali (cum Glossâ ordinariâ conjungi solitâ) ex Patrum Scriptis explanavit*, Trith. quo verò anno obierat non constat Labbeus.

Hugo de S. Victore Parisiensis, natione Saxo, Æqualis S. Bernardi, *Doctor celeberrimus suo tempore est habitus, in seculari Philosophia nulli Priscorum secundus*, clar. circa A. C. 1130. Trith. Bellar. obiit 1140.

Richardus de S. Victore Scotus, æqualis Hugonis & Bernardi amicissimus, — *Ingenii acutissimi*, Bell. *Vir honestate Conversationis, & Eruditionis Doctrinæ conspicuus; Eloquio medius inter Augustini argutiam, & Bernardi dulcedinem incedens, Intellectum erudit, & Lectoris studium ad majora promovet.*

movet. S. Senenſ. clar. circa A. C. 1140. vel ut alii 1130. obiit 1173. Chartoph. Eccl.

Gilbertus Ep. Pictavienſis Gallus, Cognomento Porretanus, *Vir in omni Eruditionis genere doctus tam Græcè quàm latinè; Scripſit in S. Literas multa erudita Opuſcula.* S. Sen. circa 1140.

Petrus Abailardus (Poſſevino *Dialecticus* dictus) claruit circa Annum Chriſti 1140. *Inſignis Philoſophus, Ingenio ſubtilis, qui Dogmata Eccleſiæ, ad Philoſophiam, & terminos Philoſophicos accommodavit.* Cent. Magd. Quantâ ſubtilitatis fama pollebat ex optimo teſte dicimus S. Bernardo qui tremebundus diſputationem cum illo detrectavit: *Abnui* (inquit) *Congreſſum, quia Puer ſum, & ille Bellator ab Adoleſcentia; Ceſſi tamen conſilio amicorum, licèt vix, ità ut flerem.* Epiſt. 189.

Omnes Scholaſticos non numero, reliquos ex Trithemio, Simlero, S. Senenſi, Poſſevino aliiſque diſces: Interim ad P. Lombardum propero, Ep. Pariſienſem, Scholaſticorum Coryphæum; claruit circa A. C. 1140. & deinceps, *Erat Vir in Divinis Scripturis ſtudioſiſſimus, nobiliter doctus, Ingenio ſubtilis, Eloquio clarus, ejus opuſculis Theologorum Schola ubique exercitata eſt, ſcripſit ſagaci ſtudio, ex dictis Patrum commendabile opus ſententiarum.* Trithemius. His adde Danæum (aliàs in Scholaſticos *ſeveriſſimum:*) *Ut ingenuè profitear, judico Lombardum ſi in feliciora tempora incidiſſet, potuiſſe multum Eccleſiæ prodeſſe: Fuit enim diligens & acutus, atque etiam hujus Operis (ſententiarum) ſcopus non modò Honeſtus, ſed etiam neceſſarius fuit, ut ex Auguſtini Doctrina (ad quem unum ferè provocat Lombardus) receptæ opiniones emendarentur & judicarentur.* Danæus in Lombardum.

Lom-

Lombardus is erat qui Cruda Adoleſcentis Theologiæ Scholaſticæ initia, operosè maturavit, abſoluto ſententiarum compendio. Miro prorſus amore (recens inventæ) Methodi, orbis Chriſtianus incaluit: ſibi nimirum gratulatus, infiniti laboris pretium, quo Nummis & Sudoribus tantopere conſulebatur.

Et quàm numerosâ doctorum Virorum prole, fœcundus iſte ſententiarum uterus, Poſteritatem beaverit, teſtor ingentia nomina; Irrefragabilem, Seraphicum, Angelicum, Fundatiſſimum, Solennem, Subtilem, Illuminatum, Invincibilem, Univerſalem, Reſolutiſſimum, Profundum, addam etiam Calculatorem Suicetum, *vel Italis* ſatentibus ſubtilitate præclariſſimum. *Haud dubium eſſe reor Barbaros* (i. e. Tranſalpinos) *Ingenio nobis haud eſſe inferiores, quandoquidem ſub Bruma Cœlo diviſa toto orbe Britannia, duos tam clari Ingenii Viros emiſerit,* (Scotum & Suicetum) Cardanus de Varietate 16. cap. de Scientiis.

Suicetus exceſſit penè modum humani Ingenii. Scaliger de Subtilitate Exercitat. 324. *Suicetus tam acutè ſcripſit, ut à paucis plenè & pro meritis intelligatur: Senem fleviſſe ferunt, quod Inventa ſua non intellexit; Dignus profectò quem neque Senium Senem faceret, neque Naturæ Lex vitâ privaret: Illi Viro maximo multa debeo, plura debiturus, ſi per Ingenii mei imbecillitatem licuiſſet.* Scaliger de Subtilitate, Exercitat. 340. claruit circa A. C. 1370. Baleus Simler.

Sed ad Lombardum redeo: Tanti erat ut optimè famæ ſuæ conſuleret, quiſquis aut exercendi Acuminis, aut excolendæ Theologiæ Practicæ, materiam ex *Petro Doctore* quærebat: Omnium deinde manibus unus terebatur Lombardus. In cujus

cujus honorem ex quo ſtudia Literarum Pariſiis vigere cœperint exſtructis Mendicantium Monaſteriis, perhibetur hunc morem fuiſſe; ut quicunque *Magiſtri*, ſive *Doctores Theologiæ* futuri erant, Commentariis prius in *Sententias* ſcribendis ſe exercerent & idoneos approbarent: Deinde ad hujus Nominis honorem jam promoti *Summas* plerique componebant. Geſnerus Pandect. de Theolog. Tit. 1. parte 3.

Et quamdiu P. Lombardus erat Commentatorum Manibus *Intactus*, & à Philoſophorum Placitis *ſincerus*, nec dum in *Controverſiarum* partes advocatus, quid ni figatur Terminus Adoleſcentis Theologiæ Scholaſticæ, & Juventutis Floreſcentis initium.

CAP. IV.

De tertia Ætate ſeu Juventute Theologiæ Scholaſticæ, à P. Lombardo ad Durandum.

PRæter magnam S. Auguſtini in Occidente famam præter Lanfranci ad Scholaſticam Theologiam qualemcunque apparatum, & celebratum acumen Lombardi methodum tam ſuccinctam excogitantis, acceſſit inſuper ad Theologiæ Scholaſticæ incrementum honeſta quædam Æmulatio cum ſtudio legum Romanarum jam tum reſtaurato.

Imperator Lotharius ſecundus, Romanas leges reperiſſe fertur, & Jus Civile, aliquot ſeculis conſopitum Irnerio publicandum, & Gloſſis illuſtrandum

dum communicâſſe; ut non ampliùs incerto Jure, id eſt, vel Romanorum jure corrupto, vel Jure Lombardico, Judices pronunciarent, ſed ex Romano jure Reſtituto. Chytræi Chronologia, Forſterus.

Juris Civilis admirandi ſtudii novitas, Imperatoriâ autoritate munita, & Honore (ſcientiæ nutritio,) hoc eſt, gradu Magiſterii & Doctoratûs inſignita, uſque adeò optima quæque Ingenia ſui Deſiderio affecit, ut in iſtud ſtudium jam maximè incumberetur, Juriſque Latini interpretes *Doctoratu gauderent*, tandémque ex Italia in Galliam profeſſio Juris tranſportabatur. Valentini Forſteri Hiſtor. Jur. Civil.

Inuſitatus iſte Doctoratûs honor ſtudio legum Romanarum conceſſus, Theologis etiam, ſacri ſtudii ſplendorem meditantibus curam ſuggerebat, ſatagendi, ne *Theologia* cultorum numero vel Autoritate ſuperari videretur: contendentibus Theologiæ ſtudium, paribus cum *qualibet ſcientia*, honoribus dignum. Hinc P. Lombardus Theologiæ Doctor creatus, Chriſtian. Mathias.

Recens excitatum ſtudium Legum Romanarum, autoritate & favore Imperatorum promotum, excitavit Theologos etiam, dictatis ſuis apud Auditores majorem Autoritatem, & Canonibus Decretíſque Pontificum, *Parem cum Legibus Vim* obtinere: Ne dum Legum Romanarum ſtudio creſceret Majeſtatis Imperatoriæ ſplendor, nonnihil momenti Doctrinæ & Diſciplinæ Eccleſiæ detrahi videretur: de Diſciplina cautum erat ex *Canonum Decretis*; de Doctrina, acriori ſtudio, & *ſtrictiore methodo*, nempe brevibus quæſtionibus, & Diſputatione minùs ſolutâ, quàm priùs factum.

Gra-

Gratianus Monachus Bononienſis Hetruſcus ſcripſit poſt alios, Volumen Decretorum inſigne, ex Veterum Statutis, Sanctionibus & Scriptis. Forſter. claruit circa A. C. 1120.— Sed cum illo mihi jam non res eſt: Nec cum Petro Comeſtore Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptore, qui clar. Trithemio Teſte, 1160. *Ferunt Gratianum, Lombardum, Comeſtorem, Fratres fuiſſe, ſed fundamento caret opinio, nec in Patria conveniunt.* Bellarm. Baronius.

Jam ſupereſt ut maximè Illuſtres ex Scholaſticis commemorem, qui P. Lombardi veſtigiis inſiſtentes tertiam Theologiæ Scholaſticæ Ætatem, (hoc eſt) *florentiſſimam Juventutem*, adornârunt.

Doctor Irrefragabilis: Alexander de Hales, Anglus; *in Scripturis Eruditiſſimus, in ſeculari Philoſophia nulli ſecundus:* circa A.C. 1240. Trithem. Honorato Titulo *Fons Vitæ* à ſuis dictus; *Ingenio ſubtili Eloquio præacutus.* Centur. Magdeburg. Primus fertur ſcripſiſſe in P. Lombardum, plura vide apud Bellarm. & Poſſevinum, Pitſeum, Labbeum, obiit 1245. Chartoph. Eccleſiaſticus.

Doctor Seraphicus: Bonaventura, Italus Cardinalis; Vir tam ſanctus ut Præceptor ejus Halenſis diceret, *Adamus in Bonaventura non peccaſſe videtur: Magnum in eo fuit Ingenium, Diſciplinarum capax; tantam adeptus Autoritatem eſt, ut in toto orbe Terrarum habitus ſit clariſſimus.* Centur. Magd. *Profundus erat non verboſus, ſubtilis non curioſus, diſertus non vanus, flammantia non inflantia verba proferens.* Trithemius. *Scholaſtica poſtilla ejus in Lucam Judicium & Subtilitatem oſtendit*, fatente Danæo; obiit circa A. C. 1283. vel ante ut Centur. Magd. & Bellarm. vide P. Labbeum & Chartoph. Eccl.

Albertus Magnus, Germanus, docuit Parisiis, deinde Coloniæ. *Primus Latinorum quicquid in Græcis, Latinis, Arabibus, Hebræis, Philosophis egregium fuit, perscrutatus est Albertus M.* Centur. Magd. ex Aventino; obiit circa A. C. 1280. vide Chartoph. Eccl.

Doctor Angelicus: Alberti M. auditor Thomas Aquinas, Italus, Scholasticorum Princeps, de quo Erasm. in 1. ad Romanos. *Thomas Aquinas Vir non suo tantùm seculo magnus, nam meo quidem animo, nullus recentium Theologorum, cui par sit diligentia, sanius Ingenium, cui solidior eruditio; planéque dignus erat, cui Linguarum quoque peritia reliquáque bonarum Literarum supellex contingeret, qui iis quæ per eam Tempestatem dabantur, tam dextrè sit usus.* obiit cica A. C. 1274. vide Chartoph. Eccl.

Doctor Fundatissimus: Ægidius Romanus, Thomæ Auditor & Defensor acerrimus, scripsit super Sententias Quodlibeta multa, aliáque plurima; clar. circa A. C. 1280. Simler. vel 1290. Bellarm. vide P. Labbeum.

Doctor Solennis: Henricus de Gandavo, *inter doctissimos hujus seculi, unus habitus est Theologus & Philosophus, Disputator Subtilis.* Cent. Magd. *Scripsit inter alia præclara, egregium opus Quodlibetorum.* obiit circa A. C. 1293. Trithem. Bellarm. peccat Simlerus, P. Labbeus.

Doctor Subtilis: Joannes Duns, aliis Dyns nonnullis Dunscot. Pitseus. Ordinis Minorum, Gulielmi Varronis Anglici ejusdem instituti Parisiis quondam Auditor & Discipulus, non autem Alexandri de Hales, ut Trithemius putabat, & ex eo S. Senensis, Possevinus; vide Cavelli Apologiam. Constat eum complures instituisse Discipulos, inter quos præcipuè fuere, Franc. Mayronis, Antonius

nius Andreæ, Alvarus Pelagius, &c. *Magnâ erat Modeſtiâ & Charitate nunquam ſuam ſententiam profert in aliorum Injuriam vel depreſſionem: Quorum aut Errores convellit, aut Opiniones excutit, tam id modeſtè & adeò ſuppreſſo nomine facit, ut Chriſtiano pectori hæſiſſe à Domino ſapientiam, certè integram mentem, conjici poſſit.* Poſſevin. Appar. S. *Limam Veritatis eum vocat Scaliger.* Exerc. 324. *Apoplexiâ correptus ex hac luce migravit, A. C.* 1308. *Quamvis exiſtimetur à pleriſque vivus fuiſſe humatus: ferunt enim diem totum & amplius immobilem interdum ſedere ſolitum, ſenſibus ſopitis, mente nimirum raptâ in altiſſimarum rerum contemplationem, atque ità demum ab hominibus ejus rei neſciis, feſtinato funere elatum pro mortuo, &c.* Poſſevin. vide Cavelli Apologiam pro Scoto. De Patria ejus major lis eſt; An ex Hibernia, an ex Scotia, an ex Anglia, an ex, &c.——

Sed noſtrum fuiſſe paucis oſtendere conabor. In Collegio Mertonenſi Oxon. (ex quo Doctor Subtilis erat) extat Manuſcriptum per Reynbold, A. C. 1453. *Explicit Lectura Doctoris Subtilis ſuper tertium Librum Sententiarum, ſcilicet Doctoris Joannis Duns nati in quadam Villula Parochiæ de Emeldon, vocatâ Dunſten in Comitatu Northumbriæ pertinente Domui Scholarium de Merton.* Ut nihil dicam de Statutis quæ Alumnorum Electionem ſpecialiter deſignant de Winton Diœceſi, & aliis Diœceſibus, & Locis, ubi ſua Beneficia ſeu Feodalia, & alia ſuo Victui deputata conſiſtunt: *Item admiſſus in Probationem, Tu jurabis quod ex loco Nativitatis tuæ es ex tali Diœceſi, &c.* Inſuper fama eſt Villulam olim fuiſſe dictam, non *Dunſten*, ſed *Dunſcott*, *cui adſtipulatur Pitſeus ſupra*: quod ſi verum ſit, nec à *Patria*, nec à Scriptorum *obſcuritate*, Scotus

nominatur. Sed noſter eſt vel *clariſſimo Buchanano Judice. Henricus Perſius Comes Northumbriæ, caſtra poſuit ad vicum Dunſum Joanne Scotio, (qui ſubtilis cognominatur) inſignem*; Rerum Scotic. l. 9.

Doctor Invincibilis: Gulielmus de Occam, Anglus, Scoti Diſcipulus, ejúsque acerrimus impugnator, aſſumpto deinceps ſectæ nominalium patrocinio, dictus vulgo *Venerabilis Inceptor*, & *Doctor Singularis*, ſcripſit multa in Joannem Pontificem Rom. in favorem Imperatoris, de quo illud, *Imperator, defende me Gladio; Ego defendam te Verbo.* Obiiſſe dicitur 1347. P. Labbeus, Pitſeus. *Inter maxima & Portentoſa Ingenia referendus.* Chartoph. Eccl. ex aliis, de quo Scaliger de Subtilit. Exercit. 324. *Videris* (Cardane) *turbine raptus atque tempeſtate Ingenii tui, qui enumerans præclariſſimos Viros Occamum præteriiſti, cujus Ingenium Ingenia omnia vetera ſubvertit, &c.*

Doctor Illuminatus: Franciſcus Mayro, Scotus, Scoti Diſcipulus; clar. circa A. C. 1320. Bellarm. Simlerus.

Doctor Univerſalis: Alanus Inſulenſis Belga; ſic dictus ob omnigenam omnium rerum Eruditionem, Pariſienſis Academiæ Moderator, *Poeta, Orator, Philoſophus, Theologus inter omnes ſui Temporis excellentiſſimus.* S. Senenſ. de tempore ejus vide Chartoph. Eccl.

Doctor Dulciſluus: Antonius Andreæ, Aragonius, Scoti Diſcipulus, ſcripſit in 4. l. Sentent. circa 1317. Bellarm. dicitur obiiſſe 1320. P. Labbeus.

Doctor Planus: Gualterus Burlæus, ſcripſit in primum Sententiarum; clar. 1330. Simlerus 1337. Chartoph. Eccl.

Doctor

Doctor Resolutissimus: Durandus de S. Portiano, Gallus. *Vir fuit insigni Doctrinâ, in quo etsi quædam inveniuntur dissona communi Theologorum Sententiæ, omnia tamen sua opera correctioni Ecclesiæ supposuit.* Possevinus. *Eximius Theologus, sed paulo audacior.* P. Labbeus. Joannes Gerson Lectionem Durandi studentibus consuluit, nomine *Resolutissimi, quique super Sententias, puriùs & solidiùs conscripserit, in ea Theologiæ parte quæ inter Scholasticos versatur.* Præfat. ad Edit. 1595. Lugdun. De Dignitatibus ejus non convenit; consule Bellarm. Simlerum, & Possevini Apparatûs Editionem secundam, in qua Erratum agnoscit; obiisse dicitur A. C. 1333. Ph. Labbeus, Chartoph. Ecclesiasticus.

Quoniam institutam tam *brevis Apparatûs* methodum, turbari non convenit fastidiosâ *obscurorum Nominum* mentione, mitto innumeros, & eos tantum profero, quibus singularis Doctrinæ fama *Titulos insigniores* conciliavit.

Scholastici, *Diversis* ab invicem *Characteribus*, distingui solent:

I. Pro Materia & Argumento.

1. *Sententiarii.* Qui in P. Lombardum Commentati sunt & disputarunt.

2. *Summistæ.* Qui commentati sunt & disputarunt in Thomæ Summam.

3. *Quodlibetarii.* Qui de Quæstionibus Quodlibetariis *commixtis* disputant.

4. *Ecclogarii.* Qui Doctrinam Fidei orationis compendio & certis capitibus distinctam complexi sunt, ut commodiùs eam traderent; sic Damascenus & Lombardus, &c.

II. Pro Sectis.

1. *Thomiſtæ & Scotiſtæ*, Ductorum nominibus diſtincti, & adeò Infames Proverbiali dogmatum diverſitate, ut alicubi Suareſius (locus & Pagina impræſentiarum non ſuppetit) (qui medium ſe gerit inter utrumque,) facetè dicat, hanc ego Concluſionem veram eſſe non dubito, quamdiu Scotiſtis cum Thomiſtis in ea convenit. Quod ipſi etiam Suareſio cum Vaſqueſio convenit, quorum *perpetuum Diſſenſum* Divinæ Providentiæ pro eruenda veritate, Tannerus imputat in Præfatione.

2. *Reales & Nominales.* Hæc diſtinctio orta eſt ex Diſputatione inter Logicos de *Univerſalibus*, nempè an *Res* ſint ut Thomiſtæ, aliíque; vel an ſint Pura & *Nuda Nomina*, ut Occami Sectatores, quem eo nomine Biel Venerabilem *Inceptorem* appellat: ſed an ille fuerit Inceptor iſtius Sectæ, conſule Centuriatores Magd. Centuriâ duodecimâ, de Hæreſibus & Abelardo. *Hiſce temporibus fuiſſe reperio Rucclinum Britannum, Magiſtrum P. Abailardi: Eo Autore duo Ariſtotelicorum Peripateticorum genera eſſe coeperunt: Unum Vetus illud quod Scientiam Rerum ſibi vendicat, Reales dicti; Alterum quod eam diſtrahit, Nominales dicti, quod avari Rerum, Nominum prodigi, Notionum ſunt adſertores.* Ex Aventino.

CAP.

CAP. V.

De Quarta Ætate Theologiæ Scholasticæ, seu Senectute *ejus, à Durando ad Reformationem.*

MIrabitur fortasse Lector, cur declinantem Theologiæ Scholasticæ statum istis ego seculis adscribo, in quibus ad invidiam usque floruerit Romanorum Pontificum potestate freta: Istis tamen ego seculis, & (quod magis est) vel ob istam unam rationem eum adscribo. Nam Theologia Scholastica quam hactenus tractavi & Junioribus consulendam præmonui, respexit maximè sacras Scripturas S. Patrum scriptis, & (quoad fieri potuerit) Philosophorum placitis explicatas & confirmatas.

Et quantumvis sequioribus demum ætatibus ex quo Autoritati studebatur, diversa dogmata in Scholas irrepserint antiquis Scholasticis ignota: doleo tamen Reformatæ Religionis infelicem sortem, quod Viri certè perquam Eruditi, indignantes Decretalium in Scholis usurpatam autoritatem, & Veterum scripta in novas partes coacta, tanto odio in omnes passim *sine discrimine* Scholasticos exarserint, ut non ferendos nedum perlegendos existimarent: Quando tamen impar fuisset nostris cum Pontificiis congressus, si omni posthabitâ Antiquitatis ratione *in Scholis* omnino Hospites extitissent.

Teſtor inſignes Reformatorum cauſæ Patronos, qui toties calamos, (in ſuis ipſorum caſtris accuminatos) Romanenſibus intentârunt: Quorum Catalogum exhibet Chartophylax Eccl. Epiſt. Dedicat.

Hi Patres (adhuc integros) & *ſaniores* ex Scholaſticis nobis aſſeruerunt: in verſando Ariſtotele quàm ſeduli! Quem tamen poſt juſtum tanto Nomini honorem, ſuas ſibi res habere juſſerunt, oſtendentes quàm ſint ejus Dogmata *Theologicis determinandis* inepta. Quod nec latebat egregios ex Pontificiis *novæ Philoſophiæ* propugnatores, qui dum Accidentium à ſubſtantia diſtinctionem tam animosè impugnârunt, vix ſibi ab *Atheorum* Nomine cavebant, *Læſæ Euchariſtiæ* pœnas luituri, niſi præſtita Doctoribus Eccleſiæ reverentia opportunè ſuccurriſſet.

Quoniam Poteſtatis Romanorum Pontificum in ſupradictis mentio inciderit, placet hîc paucis interſerere iſtius Poteſtatis originem. Ex quo favore Principum crevit Romanæ Sedis autoritas, omnia ferè in Eccleſiis Occidentalibus Pontifices gubernârunt, per *Decretales* aut *Commonitorias* Epiſtolas: Ex quibus Epiſtolis (ut etiam ex Patrum ſcriptis) quicquid colligebatur, quod autoritatem Romanæ Sedis *in Foro* ſpectans ad Lites dirimendas comparatum judicabatur, Decretorum nomine celebratum erat, unde *Canoniſtis* origo.

Aſt quicquid *Fidei* Chriſtianæ *articulos* ſpectabat & eos illuſtrare credebatur, in cenſum *Theologiæ Scholaſticæ* venit, unde diſtincta Scholaſticorum à Canoniſtis Munera, & ſæpe in Scriptis & Collectionibus diſſenſus; ut à Viris doctis eſt obſervatum.

Sed

Sed tandem eò uſque crevit Canonum autoritas, ut quædam Antiquioribus intacta & dubia, determinarint; adeóque de Scholaſticis, aut *in partes* tractis, aut *Diſſentientibus* triumphârunt. Unde jam patet quid in hoc Apparatu per Declinantem Theologiæ Scholaſticæ ſtatum intelligo; nimirum non tam Eruditionis Defectum, quàm *mixtam* quandam Theologiam, & diſputationes, determinationésque à primævo ſtudio prorſus alienas.

Inſigniores Ætatis quartæ Scholaſtici.

Joannes Baſſolis vel Baſſolius in Sententias *non contemnendus*, Bell. *Doctor Ordinatiſſimus*, P. Labbeus; circa 1322. Chartoph. Eccl.

Joannes Baco, vel de Baccone, vel Baconthorp, *Theologorum ſui temporis Princeps*, S. Senenſ. in Philoſophia inter clariſſimos Averroiſtas cenſetur, à ſuis *Doctor Reſolutus* dictus, quod ad quaſvis quæſtiones reſolutam habuit Reſponſionem; obiit A. C. 1346. ut nonnulli, ſed ſeriùs, ut S. Sen. l. 4. claruit circa 1330. Chartoph. Eccl.

Nicolaus Lyranus in *Scripturis clariſſimus*, S. Sen. ex Judæo ad Fidem converſus, ſcripſit commentaria ſeu Poſtillam in Biblia, Opus Notiſſimum, Bell. obiiſſe fertur 1349. vel 1340. Ph. Labbeus.

Gregorius Ariminenſis, *Scholaſticorum ſui ordinis Subtiliſſimus, Vitâ & Eruditione Celeberrimus*, S. Sen. clar. A. C. 1350. Bellarm. Simlerus, obiit 1358. Chartoph. Eccl. In eodem ſepulchro cum Thoma de Argentina Anteceſſore ſuo in Prioris Generalis dignitate. P. Labbeus.

Thomas Bradwardinus, Anglus, ob multiplicem & abſtruſam Eruditionem, *Doctor Profundus appellatus pari honore quo Thomas Angelicus, & Scotus*

tus Subtilis dicti: de obitu ejus non convenit; obiit 1350. Chartoph. Eccleſ. Conſule Henricum Savilium in Præfatione Editioni 1618 Operum ejus, & confer quæ Baleus dicit, & Fran. Godwinus.

Robertus Holcot, Anglus, *Non tantum in Theologia Scholaſtica, ſed etiam in Antiquis Patribus, in primis Eccleſiæ Doctoribus, in Oecumenicis Conciliis & in S. Scripturis valdè fuit exercitatus, tantæ Lectionis, ut penè omnes melioris notæ Antiquiores Theologos perluſtraverit: Literas Humaniores, & omnes artes liberales tenuerit: Northamptoniæ natus, ibique obiit peſte.* 1349. Pitſeus. Tantus erat, ut quidam duos fuiſſe ejuſdem Ordinis, Profeſſionis, Nominis & Cognominis, Anglos aſſerant, veriti ne *uni tantùm* ea omnia tribuere, fidem excedat.

Marſilius Ingen vel Inguen (quem alii Britanniæ alii Germaniæ aſſerunt) Scholaſticæ Theologiæ Doctor Inſignis, qui Heidelbergenſem Academiam ornavit, ſcripſit in Libros Sententiarum; circa A. C. 1380. Bell. 1390. Simlerus, obiit 1394. P. Labbeus.

Nicolaus Gorranus, vel de Gorram, Gallus, in Scholaſticis quæſtionibus tractandis acutus, breves in Univerſa Biblia commentarios valde proficuos ſacrorum Voluminum ſtudioſis edidit; circa A. C. 1390. S. Senen.

Thomas Anglicus, Theologiæ Scholaſticæ Profeſſor, *ob Nominis ſimilitudinem cum Thoma Angelico, creditur, multa hujus Thomæ Anglici commentaria D. Thomæ eſſe vulgo adſcripta:* S. Senenſ. circa A. 1400.

Joannes Capreolus, Gallus, *Thomæ egregius Propugnator, cujus ſenſum videtur imprimis eſſe aſſecutus,* Poſſevin. Eum Bellar. ponit circa A. C. 1410.

Jor-

Jordanus de Saxonia, Teutonicus, Divinarum Scripturarum explanator egregius; circa A. C. 1410. S. Sen.

Petrus de Alliaco, Ep. Cameracenſis Cardinalis, Pariſienſis Gymnaſii Cancellarius, Præceptor Joan. Gerſonis, *Divinarum Scripturarum peritiſſimus, & in Peripatetica Philoſophia abſolutiſſimus*, S. Sen. Bell. circa A. C. 1410. *dictus Aquila Galliæ, & aberrantium à Veritate Malleus*; obiit 1425. P. Labbeus, Launoius, apud quem vide plura.

Joannes Gerſon, Gallus, P. Alliaci auditor, Pariſienſis Academiæ Cancellarius, *Theologiæ Scholaſticæ peritiſſimus, dubium an Eruditione pietatem, an Pietate eruditionem ſuperaverit*, S. Sen. obiit circa A. C. 1429. Bell. Liber (vulgo Thomæ de Kempis) cujus Autor adhuc ignoratur, falsò ei tribuitur: P. Labbeus: Vide Jo. Launoium de Gerſone.

Alphonſus Toſtatus, Ep. Abulenſis, Hiſpanus, *Vir inter omnes Theologiæ Scholaſticæ Profeſſores in Gymnaſio Salamanticæ Urbis, ſuo tempore eruditiſſimus, in Scripturis peritiſſimus, in Scribendo indefeſſus & prope adamantinus, &c.* S. Senenſ. circa A. C. 1440. Bell. vide Gerrard. Voſſ. de Hiſtor. Latinis miranda de eo recitantem: obiiſſe dicitur 1454. P. Labbeus.

Joan. Capgravius Theologiæ Doctor Oxonienſis, *vir longè doctiſſimus, Commentarios in Scripturas, & alia conſignavit.* Ger. Voſſ. de Hiſt. Lat. circa 1450.

Gabriel Biel *Collector dictus, Sectator Occami, & Elucidator acutiſſimus*, de quo Wendelinus Steinbach, Theologiæ Profeſſor Tubingenſis, in Præfatione ad Collectorium G. Bielis editum A. C. 1501. *Comperiet Lector, Collectorem ipſum velut Apem argumen-*

gumentoſam Priſcorum Virorum Illuſtrium alvearia ſacroſancta perluſtraſſe. Hug. de S. Victore, P. Lombardi, Alex. Bonavent. Thomæ, Rich. Scoti, Occami, Durandi, Palud. Holcot. Gregor. Cameracenſ. &c. *& inter novos & Veteres ſeſe medium poſuiſſe, nec illorum ſimplicem ſprevit Majeſtatem, nec horum magnificam horruerit ſubtilitatem: Claret hodiè ſenex Biel provectaque ætatis apud Comitem Wirtemb. maximo in pretio: Anno quo hæc ſcribimus* 1494. Trithemius.

Dionyſius Carthuſianus *Vir Sanctiſſimus* & *Doctiſſimus*, Bellarm. vide S. Senenſem magnifica de illo prædicantem; obiit circa A. C. 1470. *Doctor Ecſtaticus*, Chartoph. Eccl.

Joannes Picus, Mirandulæ in Italia Princeps, *Vir Ingenio & Doctrinâ maximus*, Bellar. *Phœnix dictus*, Vir Ingenii prodigioſi, & in omnium Artium, Scientiarum, & Linguarum varietate, uſque ad miraculum exculti trigeſimo ætatis anno, quo extinctus eſt, S. Sen. vel 32. P. Labbeus, circa 1494.

Marſilius Ficinus, *Platon. Philoſophiæ Decus, Ornamentúmque; Theologiæ non vulgariter eruditus.* Bell. circa 1499.

Joannes Major, Scotus, ſcripſit in Sententias: circa A. C. 1500. Bell. 1520. Simlerus 1528. P. Labbeus, vide Jo. Launoium.

Jacobus Almainus *Doctrinæ Scoti, Occami & Bielis addictiſſimus*; obierat anno 1518. quo opera ejus vidi edita Lutetiæ, *Lecturas in Sententias, Moralia omnibus, & potiſſimum Theologis apprimè utilia, &c.* P. Labbeus; obiit anno 1515. Chartoph. Eccl. vide Jo. Launoium.

Cata-

Catalogus Autorum qui ſcripſerunt aut in omnes, aut in aliquot, aut in ſingulos Libros P. Lombardi.

Alex. Halenſis.
Albertus Magnus.
Bonaventura.
Tho. Aquinas.
Petrus Tarantaſius.
Joannes Pariſienſis.
Ric. de Media Villa.
Scotus.
Occamus.
Pet. Aureolus.
Franciſcus Mayronis.
Antonius Andreas.
Durandus.
Adamus Goddam.
Rob. Holcot.
Joannes de Baccone.
Nic. Gorranus.
Tho. Argentinenſis.
Marſilius ab Ingen.
Joannes Capreolus.
Dionyſius Carthuſianus.
Gab. Biel.
Joan. Major.
Dom. Soto.
Eſtius.
Ægidius Romanus.
Pet. Aureolus.
Gual. Burlæus.
P. Paludanus.
Gerardus Senenſis.

Gre-

Gregor. Ariminenſis.
Pet. de Alliaco.
Auguſtinus de Roma.
Jac. Almainus.
Fran. Lychetus.
Danæus.

Scriptores aliquot Inſigniores in Thomam Aquinatem.

Cajetanus.
P. Ledeſmius.
Bannes.
Suareſius.
Vaſquez.
Gregor. de Valentia.
Barthol. de Medina.
Tannerus.
Arragon.
Lud. de Molina.

Et omnium Scholaſticorum Unus inſtar Yzambbertus.

Reliquos tum in P. Lombardum, tum in Thomam Scriptores, vide in Geſneri Pandect. & Poſſevini Biblioth. Select.

CAP.

CAP. VI.

De Abuſu Theologiæ Scholaſticæ.

1. VApulat in Scholaſticis *curioſa* nimium Quæſtionum Subtilitas & Audacia; malè habet eos qui ſunt Scholaſticis faventiſſimi, Scholaſticos tantum Ingenii Acumen, aliquando Minutiis impendiſſe: & quando in Philoſophicis inculpatiùs luditur, utinam Divinis parcitum fuiſſet: Utinam de rebus Fidei, in utramque partem (ferè *Academicorum more*) ſubinde non diſputaſſent, magis de Victoria quàm de Veritate ſoliciti.

2. Quando debitâ *Modeſtiâ* P. Lombardus, *Patrum Scriptis* pro ſenſu Scripturarum; quando Thomas & Scotus, &c. (ſuorum judiciorum viribus diffiſi,) *Ariſtotelis placitis* in ſubſidium vocatis, unicè nitebantur; ſequentia demum ſecula, eos ipſos in Cathedram evexerunt, & miſſis Auguſtino aliíſque, *ita Magiſter, ita Thomas, ita Scotus*, &c.— tanquam id è Tripode prolatum, litibus ferventiſſimis valeret Frigidam ſuffundere.

3. Diſputationibus Quodlibeticis aſſueti, *Quodlibetali* probabilitate quadam de rebus magni Momenti diſputârunt; & ſæpe in rebus non certis ſuperciliosè determinârunt: Utinam in omnibus eorum diſquiſitionibus præcipuus fuiſſet *S. Scripturis* locus; debito interim (*ſecundùm eas*) & Patrum

trum Scriptis, & Philoſophorum placitis Honore reſervato.

4. Quod *Juris Canonici* autoritas nimis obtineat, in determinandis quæſtionibus quæ S. Scripturam & Fidem ſpectant; & quod Diſtinctiones fabricatæ ſint, quæ ejus Autoritati ſtabiliendæ inſerviunt.

5. Quod nimium fuerint *ſpeculativi* (ſaltem antiquiores) & frequenti neceſſariæque Scripturarum lectioni minùs faverint, & de Quæſtionibus Praxin concernentibus non tam ſoliciti quàm de aliis.

6. Vitio vertitur Scholaſticis, *Linguarum Imperitia:* ſed non erat hoc Vitium Scholaſticorum, ſed potius infortunium: Nam poſt Apoſtolorum tempora, *Hebræa Linguæ* altum ſilentium, excepto Origene & Hieronymo: Et tandem Latinis Eccleſiis excuſsâ etiam *Græcæ Linguæ* peritiâ; quid mirum, ſi *Latinâ* codicis Biblici verſione, & tranſlatione Ariſtotelis *quali quali*, nil melius tum ſapiens Orbis gaudebat: Hæc, ni fallor, erat ratio, cur veterum Scholaſticorum (præ cæteris eorundem Scriptis) tam *rara* fuerint in Scripturas *Commentaria*, & quod imperfecta fuerit Tenebroſi Seculi *Theologia Textualis.*

7. Culpatur in Scholaſticis methodus *Quæſtionaria* & *Elenchtica:* Clariſſimus Ludovicus Vives, raras vult eſſe Diſputationes, quoniam in iis *Ingenium contra veritatem ſumit arma: quæ Pugna adeò nefaria & impia, bonos Viros non decet, & ex iſtiuſmodi Diſputationibus nemo doctior, & melior diſcedit.*

Cal-

Calvinus in 1. ad Timotheum Theologiam Scholasticam vocat *Artem Diabolicam litigandi.*

Antonius Sadeel, de Methodo Disputationis Theologicæ, *Scholasticam Theologiam comparat cum caverna Caci.*

Scaliger vocat Scholasticos *Garrulos, Audaces, Protervos:* Utinam modestiam eorum æmulatus fuisset ipse Scaliger aliique, tractant illi Argumenta, parcunt Homi ibus.

Doleo Tantis viris *Ista* de Theologia Scholastica excidisse; & pace doctissimorum virorum rogare liceat, an non Veritas Theologica, & Scripturæ sensus melius erui credatur *Argumentis* hinc & inde *Ventilatis*, & *Fallaciis detectis*, quam si suffenus aliquis *supercilioſus*, imperiosè dictitet apud imperitum vulgus, quicquid in Buccam venerit, & sua tamen autoritate ab Auditoribus credi vellet: Hæc olim fuit, & hæc hodiè creditur, proxima ad Hæreses via, solum nempe *Proponentis Imperium:* vide quæ monet H. Dodwellus, tum in Præfatione, tum in Epistola secunda de Scriptis & Quæstionibus Scholasticorum examinandis.

CAP. VII.

De Usu Theologiæ Scholasticæ.

UT feliciùs claudam brevem hunc de Theologia Scholastica tractatum, par est exponi paucis quis ejus *Usus* fuerit, etiam in Confesso apud Scholasticorum Hostes juratissimos.

1. Scholastici Theologiam *Primi* omnium in Ordinem Artísque formam redegerunt magno Verulamio teste, qui alias Scholasticis non favet: *Pressior* ista disputandi *Methodus* iis in Usu, Insanus est cui non placet; quâ scilicet Objectiones & Solutiones sine verborum *ambagibus* aut *inhonestis Convitiis* proferuntur. *Terminis Artis*, quos Illi exto itârunt, *Memoria* & *Ingenium* juvantur: Scientiæ magis *per compendium* docentur. Rideat interim Elegantulus Orator, Terminorum Barbariem, Styli Obscuritatem, & Distinctiones Incomptas: (scil. *materialiter*, *formaliter*; *per se*, *per accidens*; *simpliciter*, *secundum quid*;) Sciat interea, Scholasticum, melius posse *animi sui sententiam* explicare, uno vel altero *Artis Termino*, quàm potest, cum omnibus suis Amplificationibus *nauseabundis*, & *circumlocutionibus* oratoriis, *Phaleratus Rhetor*.

2. Scholasticis debemus *Logicam* & *Peripateticam Philosophiam* illustratam: Stylo quidem (ut suprà dictum) ineleganti nec elaborato: sed quem abunde compensavit *admirabilis Judicii profunditas*, & in rebus perscrutandis, omnino *felix subtilitas*;

tilitas; *iis debet logica tantum, quantum aliis hominibus ferè nullis.* Sanderſonus in Appendice poſteriore.

3. Infinitæ & perplexæ *Quæſtiones*, de rebus in Doctrina Chriſtiana publicè recepta, dederunt ortum Diſputationibus Acerrimis, ad quas in Scholis peragendas, opus erat Locutionis formulâ non *vulgari*, ſed *artificiosâ*, ſolis Diſputantibus & Studentibus familiari: unde Doctrinæ ſingulari fama celebrari cœperunt, & excluſis ab iſtiuſmodi Doctrina aliis, ſibi vendicârunt Theologorum privilegium & Nomen: de quibus, juxta & Junioribus, optimè merebitur, quiſquis ea quæ *Generaliùs* & *Intricatiùs* ſunt apud Scholaſticos inventa, *elucidaret*, *digereret*, & in uſum publicum accommodaret.

4. *Controverſiarum*, quæ nobis cum Scholaſticis intercedunt, *Status* intelligi non poteſt niſi *eorum Lectione*, ut iiſdem utamur terminis, quibus illi ſe explicant: Multoties argumenta (*ad Hominem*) pro noſtra Doctrina & contra ipſos, ex ipſorum ſcriptis occurrunt: ſæpè ſibi, ſæpè ſuæ Eccleſiæ contradicunt, quod Proteſtantes ignorare non convenit.

5. Plerique Scholaſticorum, de iis *quæ extra Controverſiam* ſunt optimè, ſcripſerunt: Quæ Lumine Naturæ percipiuntur, & in Theologia præſupponuntur, ii feliciſſimè enucleârunt: ſunt iis inſuper Bibliothecæ, inſtructiſſimæ, quæ multa ſuppeditant, non aliunde quàm ex eorum ſcriptis petenda.

6. Quid melius excogitari potuerat in commodum *Scholarum*, *Academiarum*, *Collegiorúmque*, quàm Lombardi Sententiarum liber, & Tho. Aquinatis ſumma, ob argumentandi methodum?

7. Quamvis veritas istius Aphorismi non est disputanda, quo bonus *Textuarius* bonus Theologus prædicatur; perperam tamen unum ad Theologiam necessarium olim credebatur, integros Scripturarum libros potuisse memoriter tenere, aut sensum textûs literalem *Hebraicè* vel *Græcè* potuisse enodare: sunt difficilia *Intellectu* loca, 2 *Pet.* 3. 16. in quibus satis de *Litera* constat, quæ tamen quis depravare potest in suam ipsius perditionem. Testor maximos viros Originem & Hieronymum, *Linguarum peritia* fretos, qui multoties, quando in *Sensu* difficultas occurrebat tardioris solutionis & moræ impatientes, in *Allegoriam* Textum convertebant, sed quanto Ecclesiæ & Scripturæ damno! *Attributa Dei*, *Persona Christi*, *Anima*, *Resurrectio*, *&c.*— Philosophicam Subtilitatem poscunt, & terminos Scholasticorum, ut tractari possint, aut defendi, & de quibus non posse disputare Theologo indignum est.

8. Hæretici & Controversiarum frequentia, necessarium reddunt Theologiæ Scholasticæ studium. Quis meliùs de Deo contra *Atheos*, de Providentia contra *Epicuræos*, de Trinitate contra *Socinianos* disputat, quàm Theologiâ *Scholasticâ* imbutus? Nec mirum est *Socinianismum* in *isto seculo* fuisse pernicioſissimè grassatum, in quo *Logicæ* & *Theologiæ Scholasticæ* Contemptus in suggestis maximè personabat.

Quædam Conclusiones ex Præmissis.

1. Scholasticos propter *Genium* & *Barbariem* seculorum suorum multa quidem *errasse*.

2. Scho-

2. Scholaſticam tamen Theologiam nec *Stultos* habuiſſe *Autores*, nec ferre poſſe *Lectores Ineptos*, eodem ſcil. natam & intellectam Acumine.

3. Scholaſticos debitâ ad literaturam ſupellectile deſtitutos, Rationis inaſſuetâ ſubtilitate & ſagacitate cogitationum admirandâ, Barbariem ſui ſeculi cohoneſtâſſe, nec poſſe ſine *Injuria*, & *falſi Teſtimonii crimine*, Ludibrio haberi, aut convitiis proſcindi.

4. Incredibile *Junioribus Incommodum* fieri, quoties à Scholaſticis adeundis deterrentur, per inhoneſta doctorum Virorum Dicteria, Theatrales jocos, & non diſſimulatum contemptum.

5. Aliquâ notitiâ *Controverſiarum* inter Pontificios & Proteſtantes præmunitum eſſe debere, qui ad Lectionem Scholaſticorum accedit, ne incautus ex improviſo præjudiciis *Innodetur*; & ut valeat diſtinguere, inter Scholaſticos *Antiquiores* magis innoxios, & *Recentiores* quibuſcum Proteſtantibus major lis eſt.

Catalogus Quæſtionum Theologicarum juxta mentem & Terminos Scholaſticorum, unà cum Autoribus præcipuis qui eas tractant.

An Deum eſſe ſit per ſe notum?
Thomas, Scotus, Cajetan, Vaſquez, Suarez.

An Natura Divina ſit Una?
Thom. Scot. Durandus, Ockam, Vaſq. Suar.

An Unitas Naturæ poſſit componi cum Trinitate?
Scot. Ockam. Suarez.

An Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio?
Thom. Scot. Ockam. Durand. Vaſq. Suar.

An Deus ſit Cauſa Peccati?
Thom. Cajet. Vaſq. Suar.

An Futura Contingentia habeant Determinatam veritatem in ſe?
Scot. Vaſq. Suar.

An cum certitudine Scientiæ Dei componatur Libertas Contingentium, & an Scientia Viſionis ſit cauſa Futurorum?
Scot. Cajet. Vaſq. Ledeſm.

An Deus omnibus Creatis in ſingulari, & immediatè provideat?
Thom. Durandus, Tannerus, Suar.

An Præſcientia conditionata ſeu media, Meritorum Prædeſtinati, ſit neceſſaria ad Prædeſtinationem?
Suar. Tanner. Fonſeca. Vaſq.

An Reprobatio ſit ante præviſa Demerita?
Thom. Durand. Cajet. Bannez. Vaſq. Suar.

An Opera Naturalia elicita abſque auxilio Gratiæ, ſint Diſpoſitio ſaltem ex Lege Dei, ad prædeſtinationem Gratiæ & Gloriæ?
Durand. Gabriel. Thom. Scot. Suar. Vaſq. Bell.

An

An Opera Gratiæ elicita ab uno juſto, ſint cauſa Meritoria Prædeſtinationis alterius?
Thom. Dur. Suar. Bannez. Vaſq.

An Deus agat ex Neceſſitate Naturæ?
Thom. Dur. Gabr. Vaſq. Suar.

* An Deus poſſit producere Creaturam Rationalem Naturâ impeccabilem?
Gabr. Suar. Valent. Vaſq. Bann.

An Voluntas Dei rectè dividatur in Voluntatem Beneplaciti & Signi?
Tho. Cajet. Bann. Vaſq. Suar.

An ſit in Deo aliqua Voluntas Beneplaciti conditionata & inefficax?
Valent. Alvarus, Gabr.

An ſit in Deo Voluntas qua vult omnes homines ſalvos fieri?
Thom. Scot. Gabr. Dur. Cajet. Vaſq. Suar.

An ſit in Deo Voluntas permittens, & quid ſit in Deo Permiſſio Peccati?
Thom. Scot. Valent.

An Rectitudo Moralis Creaturæ rationalis, ſumatur ex conformitate cum Voluntate Divina? Seu an Homo bonâ Voluntate poſſit velle aliud quàm Deus vult, aut malâ, quod Deus bonâ Voluntate vult?
Scot. Suar. Cajet. Vaſq.

An Angeli ſint incorporei ?
Cajet. Vaſq. Suar.

* An ſuperbia fuerit primum Dæmonis Peccatum ?
Tho. Dur. Cajet. Vaſq. Suar.

An Angeli aſſumunt Corpora ?
Tho. Dur. Gabr. Cajet. Vaſq. Suar.

An unicuique Hominum deputatus ſit Angelus Cuſtos ?
Tho. Gabr. Cajet. Vaſq. Suar.

* An Angeli ſimul cum Cœlo fuerint creati ?
Tho. Cajet. Bann. Vaſq. Suar.

An Anima Rationalis ſit Spiritualis ?
Thom. Suar. Hurtado. Arriaga.

An Anima Rationalis per Generationem producatur ?
Thom. Durand. Gabr.

An Anima Rationalis ſit Naturâ Immortalis ?
Thom. Suar. Valent. Tolet.

An Ignorantia excuſet Peccatum ?
Thom. Gabr. Dur. Vaſq. Suar. Bell.

An Gratia juſtificans ſit animo inhærens, vel extrinſecè deputata ?
Thom. Cajet. Vaſq. Bell. Suar.

* An Peccatum primi hominis verè transfundatur in filios?
Thom. Scot. Dur. Cajet. Vaſq. Suar.

* An Peccatum primi hominis & in B. Virginem transfundatur?
Durand. Cajet. Vaſq. Suar. Bell.

* An Peccatum Originale ſit Concupiſcentia, an Privatio Gratiæ, an aliud quid?
Thom. Durand. Cajet. Vaſq. Suar.

* An Peccatum Originale æqualiter inficiat omnes?
Cajet. Vaſq.

* An Peccatum Originale tollatur virtute Baptiſmi?
Thom. Durand. Cajet. Vaſq. Suar.

* An Parvuli decedentes ſine Baptiſmo damnentur?
Thom. Scot. Gabr. Vaſq. Suar. Bell.

An Malitia Peccati conſiſtat in Privatione Boni?
Thom. Durand. Gabr. Cajet. Vaſq. Suar.

An Peccatum poſſit eſſe Pœna Peccati?
Thom. Scot. Cajet. Vaſq. Suar.

An teneamur ſequi Conſcientiam Errantem?
Thom. Ægid. Dur. Gabr. Cajet. Vaſq. Suar.

An

An poſſit Adorari B. Virgo & Sancti Eccleſiæ?
Thom. Dur. Cajet. Vaſq. Suar.

An Chriſtus incepit eſſe?
Thom. Scot. Dur. Cajet. Suar. Vaſq.

* An Chriſtus habuerit Scientiam acquiſitam, & in ea profecerit?
Thom. Paludanus, Dur. Cajet. Suar. Vaſq.

* An in Chriſto ſint duæ Voluntates?
Thom. Scot. Dur. Gabr. Cajet. Suar. Vaſq.

An Meritum Paſſionis Chriſti fuerit neceſſarium ad ſatisfactionem pro Peccato, quin Pura Creatura pro illo potuerit ſatisfacere?
Thom. Scot.

An Chriſtus fuerit verus Sacerdos, & Hoſtia pro Peccato?
Cajet. Suar. Vaſq. Bell.

An Chriſtus quà Homo ſit ubique?
Thom. Durand. Gabr. Suar. Bell.

An Anima Chriſti verè ſecundùm ſubſtantiam deſcenderit ad Inferos?
Thom. Durand. Gab. Cajet. Suar.

An absque externa propoſitione Eccleſiæ poſſit res eſſe credibilis per Fidem Divinam?
Gabr. Cajet. Bannez. Hurtado, Granad.

An

* An omnium Articulorum Symboli Fides ſit neceſſaria?
Thom. Cajet. Bannez. Gabr.

* An Infideles quibus non eſt prædicatum Evangelium, poſſint adipiſci ſalutem?
Durandus, Gabriel.

An omnia Peccata ſint Æqualia?
Thom. Gabr. Cajet. Valq.

An obliget juramentum factum contra mentem Interrogantis?
Thomas, Suar. Bonacina, Navarr.

An obliget Juramentum coactum?
Thom. Gabr. Suar.

* An ſint Septem Sacramenta?
Thom. Mayro, Cajet. Suar.

An Baptiſmus ſit neceſſarius?
Cajet. Suar.

An ſolus Clericus ſit Miniſter Baptiſmi?
Thom. Scot. Cajet.

An Peccator valide miniſtret Baptiſmum?
Thom. Tarant. Cajet. Suar.

An poſſit iterari Baptiſmus?
Thom. Scot. Cajet. Suar.

An verè exiſtat ſubſtantia Chriſti, ſub ſpeciebus Panis & Vini?
Thom. Scot. Gabr. Cajet. Vaſq. Suar.

An Communicatio ſub utraque ſpecie ſit ſingulis neceſſaria?
Thom. Cajet. Suar. Vaſq.

An Oblatio Sacramenti Euchariſtiæ ſit verum ſacrificium?
Cajet. Suar. Vaſq.

An Intentio ſacramenti ſit neceſſaria ad valorem?
Thom. Scot. Durand. Cajet. Vaſq.

An Sacerdos verè abſolvat à Culpa?
Thom. Gabr. Cajet. Vaſq.

An Epiſcopatus ſit Ordo?
Thom. Bell. Vaſq.

An ſolus Epiſcopus poſſit Ordines conferre?
Thom. Scot, Dur. Mayro, Vaſq. Bell. Layman.

An Matrimonium ſit indiſſolubile?
Thom. Durand. Cajetan. Catharinus.

An Pluralitas Uxorum ſit contra Legem Naturæ?
Thom. Scot. Durand. Sanchez. Bell. Ledeſma, Filliuc.

An

An Corpora Reſurgentium ſint omnino eadem quæ primo viva?
Thom. Durand. Suar. Soto.

An Suffragia Viventium proſint defunctis?
Thom. Tarant. Argent.

An Pœna Æterna ſit debita malitiæ Reproborum?
Bonavent. Durand.

Quædam ex his Quæſtionibus Aſteriſco notantur, quæ nempe potius ex *S. Scripturis*, quàm Scholaſticorum *Ratiociniis* pendent.

1. Hujuſmodi Catalogum non Apparatûs Ratio tantùm poſtulat, ſed etiam *Exercitia Theologica*, tum privata tum publica.

2. Ut Diſputantibus meliùs ſuccederet, Autores aliquot famoſiores annectendos duxi ubi quæſtiones tractantur, & ex iis, eos potiſſimum, qui à ſe invicem maximè diſſentientes, plus materiæ Diſputantibus *Alterutrinque* ſuppeditant, quales præcipuè ſunt Thomas & Scotus, Suarez & Vaſquez.

3. Omnia quæ diſputantur à Scholaſticis non poſui, plures Quæſtiones qui videre cupit, (& plures Autores ſuper his,) conſulat Expoſitionem in P. Lombardum per Martinez de Ripalda; Pariter P. Alangona Compendium Summmæ Thomæ ſcripſiſſe dicitur, ſed non vidi. Vide Pet. Labat Theologiam Schol.

4. Multæ ex his quæſtionibus hodiè apud Recentiores, *diverſis terminis* proferri ſolent, cùm tamen reve-

reverâ idem ſonent, & ni fallor, aliquoties magìs perſpicuè & ſine fuco, terminis Scholaſticorum, quàm Recentiorum, proponuntur.

5. Deſiderabit fortaſſè Lector innumeras alias (à prædictis) quæſtiones, poſt Reformationem & deinceps ortas: verùm eas nôrit de induſtria prætermitti.

1. Quoniam ex iſtis Quæſtionibus multæ reſpiciunt res *ſic ſtantes*, & Controverſias *tunc temporis* agitatas, quibus intelligendis præire debet Hiſtoria Reformationis.

2. Quicquid reliquum eſt Diſputationum inter Pontificios & Proteſtantes petendum id eſt ex Polemicis Bellarmini & Chamieri Panſtratia: Bellarminum dico, qui nimirum magìs ingenuè (quàm ab Hoſte fieri ſolet) agit in proponendis Antagoniſtarum argumentis: De quo Montacutius in Præfatione ad Origines Eccleſiaſticas. Bellarminus Vir erat admirandæ Induſtriæ, Doctrinæ, Lectionis, ſtupendæ, qui primus & ſolus immanem Controverſiarum molem Artificio ſingulari excoluit, accuratâ diligentiâ eleganter expolivit; præripuit palmam ſecuturis omnibus, nam ab illo omnia mutuantur qui hodiè tractant Controverſias.

3. Quæſtiones de variis Proteſtantium ſectis vide apud Hornbeck, aliósque, qui Summas Controverſiarum ſcripſerunt, de quibus Wilkinſius, Voetius Biblioth. Theolog. Vide etiam Eſſenii Libros Controverſiarum.

4. Statueram ſanè omnes omnium inter Proteſtantes ſectarum quæſtiones ſibi invicem adverſantium, in faſciculum collegiſſe, adjectâ in Cumulum *Singularitatis* teſſerâ: Sed,

1. Pro-

1. Prohibebat non prævisa reliquarum hujus Opusculi partium *Difficultas* & *Tædium.*

2. Inimicus brevitati Quæstionum istarum *Numerus.*

3. Autorum *Obscuritas* qui de multis Quæstionibus disputant.

4. Ex istis Quæstionibus multæ *Ineptæ sunt*, & *frigidis* SS. Scripturarum applicationibus nixæ.

5. Multæ etiam crassi *Partium studii* manifestam *superbiam*, & *commodi* secularis intuitum, usque adeò sapiunt, ut Religio mihi fuerit, tum omnia *Problemata* quæ disputantur, tum omnes *Autores* qui disputant, palam proferre, ne scil. *tenerum* adhuc *sincerumque Junioris* animum, vel Disputantium *Autoritate*, vel Problematum *illecebris*, sensim præjudiciis contingeret *Inquinari.*

Appa-

Apparatus Specialis
AD
THEOLOGIAM
PARS II.

De Munere Hiſtorico ſeu Eccleſiaſtico.

CAP. I.

De Methodo Hiſtoriæ V. Teſtamenti per certas Epochas aſſequendæ.

QUandoquidem, aliis aliquam multis in S. Scriptura difficultatibus, adnumerari ſoleant *Scrupuli* quibus Hiſtoria & Chronologia ſacra laborat: expedit V. Teſtamenti memorabilia accuratiſſimâ ſerie diſtingui: Non quaſi Juniores pares eſſe ducerem Controverſiis chronologicis; infinitus iſte labor eſt, & vix cùm venerit Elias, abſolvendus.

Præſentis Apparatûs rationem abundè implebit, quiſquis Annos ab Orbe Condito ad Chriſtum in latiores vel ſtrictiores Epochas pro viribus Memoriæ diſpeſcat: Cautus interim ut iſtæ Epochæ, *Perſonis illuſtriſſimis & Rebus celebratiſſimis* ità inſigniantur, ut tanquam à ſpecula eminentiore, ex præcedente in proximam Epocham, per res inter medias, Lectoris oculus animúsque uno quaſi ictu facilè contendat: hoc aut alio quovis modo.

Ab Orbe Condito ad Diluvium.
A Diluvio ad Abrahami Migrationem ex Haran.
Ab Abrahami Migratione ad Jacobi Deſcenſum.
A Jacobi Deſcenſu ad Exitum Iſraelitarum ex Ægypto.
Ab Exitu Iſraelitarum ad Moſis obitum.
A Moſis obitu ad Saulis Regnum.
A Saulis Inauguratione ad jactum Templi Fundamentum.
A jacto Fundamento Templi ad Excidium Samariæ.
Ab Excidio Samariæ ad Excidium Templi per Nebuchad.
Ab Excidio Templi ad Solutionem Captivitatis.
A Solutione Captivitatis ad Imperium Græcum.
Ab Initio Imperii Græci ad Æmilii triumphum de Perſeo.
A victo Perſeo ad victam Cleopatram.
A victa Cleopatra ad Chriſtum Natum.

Autores quod attinet qui de Temporis (hujuſmodi) diſtantiis debitâ Annorum periodo definiendis oleum & operam collocârunt: Joſephum (proh dolor!) in Joſepho deſideramus Vepretis obſito: Græci Hiſtorici ab aliis, & omnes ferè anti-

antiquiores inter se *Nominum diversitate* discrepant: Recentiores scindit *Incertus* V. Testamenti *calculus* seu ab Hebræis, seu à Græcis steteris: Egregiè nuperrimè sudârunt in hac Arena, Calvisius, Scaliger, Petavius, Jacobus Armachanus, uterque Vossius, aliique innumeri, quorum vel alterutrius autoritate satis honestè se Junior defendet, modo quâ quisque nixus est Hypothesi, sedulò meminerit. E quibus Usserius Arch. Armachanus Junioribus præcipuè commendandus.

Rerum Personarúmque successiones commodissimè præstabit Helvici methodus, quoad opus desideratissimum Ingentis in Historia Ep. Asaphensis D. Lloyd, publici Juris fiat. Difficiles nodos Rerum Gestarum in S. Scriptura, & de necessitate Historiæ Humanæ ad eos solvendos, vide Possevin. Bibl. Sel. l. 2. c. 2. etiam è quibusnam Autoribus Epitome Historiæ Sacræ petenda est ad Scripturam universam quasi Filo quodam adducens. l. 2. c. 23. de Methodo Legendi Historias Civiles & Ecclesiasticas quatenus sibi invicem succedunt; Degoreus Wheare: De Historicis primarum Centuriarum, Epistola secunda H. Dodwelli: De Historicis in Genere, tum Græcis, tum Latinis, Gerardus Vossius: Plures in Bibliotheca Theologica Voetii: Vide Phil. Labbeum in Prænotandis ad Chronologiam, cum Ariadne Chronologica ad Finem.

CAP. II.

Præmonitiones aliquot ad prædictas Epochas neceſſariæ.

1. NAtum *Chriſtum* meliùs quàm *Orbem Conditum* ſtatui ſupputationis caput; e. g. ſi quæratur de Roma condita, planiùs reſpondetur, anno ante natum Chriſtum, quàm anno ab Orbe condito; cavebitur enim hac methodo ab innumeris *Scrupulis* quibus Epochæ ſuperiores intermediæ premuntur.

2. De Nativitate Chriſti mediæ viæ cautiùs inſiſtitur, anni nempe quater Millenarii completi: tantiſper dum Doctiſſimi Viri, qui à *Defectu* ſtare ſolent certiùs adſtruant Abrahami *Natalitia*; aut qui pro *Exceſſu* tanto contendunt magnum Joſephum jam diu ſitu ſqualentem abſtergant; ſupputationum, ab Orbe Condito ad Meſſiam 30 ferè differentias, Vide Chemnitii Harmon. l. 1. c. 8.

3. Poſt Cyri Monarchiam & Captivitatem, nonnihil interrumpi cœpit Series Chronologica, quantùm quantùm præſtiterit Eſdras, & Libri Maccabæorum, & proinde cavebat Divinum Numen eam *aliunde* redintegrari, & *prophana Scripta* tum primum *Certitudinis* aliquid præ ſe ferre, cùm poterant Hiſtoriæ ſacræ aliquatenus inſervire.

4. Præſumitur Elementorum Aſtronomiæ ad Chronologicas ſupputationes cognitio, & Globorum ad Narrationes Hiſtoricas, neceſſaria; item de Ponderibus, menſuris & diſtantiis ad computum

tum noſtrum exigendis, quo inſtructior accedit ad S. Scripta Lector, ea meliùs intelliget.

5. Quoniam per ſequentes Epochas, firmandæ Memoriæ & Rerum geſtarum confuſioni conſulitur præcavendæ, è re ſua noverit eſſe Hiſtoricus, ſi illuſtriores Perſonas, directâ ſerie ſuccedentes quotidie ſecum recolat.

6. His Epochis præmunito facilior patebit aditus ad Imperiorum (præcipuè 4. Summorum) origines, Fundatores, Religionem, Potentiam, Bella, Victorias, Durationem, & Excidii eorundem cauſas perſcrutandas.

7. Ut meliùs ei cedat quiſquis in brevem hunc ad Hiſtoriam Apparatum impegerit, nôrit incepturis opus eſſe *Tabulis Geographicis* Terræ Sanctæ, Vicinarúmque Gentium, ut ſacro quaſi quodam Itinerario, Patriarcharum & Apoſtolorum Peregrinationes, Judicum, Regúmque & Imperatorum Victorias tanquam oculo ſubjectas memoriter teneant: Qui exactiùs ſcripſerint de Regione Palæſtinæ: vide Poſſevin. Bibl. Sel. Bochartum: vide Voetii Biblioth. Theol. Lightfootum.

8. In V. Teſtamenti Hiſtoria optimè ex *Hieroſolymis*, in Hiſtoria poſt Chriſtum, ex *Sede Imperiali*, veluti Geographiæ S. *Statuâ Mercuriali* Oppida, Regiones, Inſulæ, Maria, Deſerta, in Libris S. & Hiſtoricis commemorata innoteſcent.

CAP. III.

Methodus implendi prædictarum Epocharum Spatia.

Epocha Prima.

AB Orbe Condito ad Diluvium, quæ disputantur hîc, ex multis hæc pauca considerabis.

De Mundi Initio.

De hoc Intervallo inter Hebræos & Græcos.

De reliquis Diluviis, à profanis Historicis sæpe cum magno Diluvio confusis.

Quænam ista Diluvia, & quot annis magno recentiora.

De Situ Paradisi.

De Tempore Creationis Angelorum.

De Fructu Vetito.

De Matthusalæ Obitûs tempore.

De Artibus & earum Autoribus.

De Noæ cum Saturno Collatione.

Epocha Secunda.

A Diluvio magno ad Abrahami Migrationem ex Haran.

De Montibus Ararat.

De Multiplicatione Humani Generis post Diluvium ex tribus Filiis Noachi, & de Annis ad Nativitatem Phaleg.

De

De Diſperſione Gentium.
D Primogenitura Filiorum Noæ.
De ſpeciali Origine Nationum, & Nominibus ex Poſteritate Noæ derivatis.
De Cajnane ſecundo in Lucæ tertio qui fugerat Moſen.
De Hujus Epochæ intervallo inter Hebræos & Græcos.
De Initio Monarchiæ Aſſyriacæ; & duratione.
De Partitione Imperii poſt Sardanapalum.
De Primogenitura Abrahami, & anno Tharæ in quo natus erat.

Epocha Tertia.

Ab Abrahami Migratione ad Jacobi Deſcenſum.
Unde initium ſumunt Anni 430. Exod. 12. 40. ab Abrahami Migratione, vel aliunde?
De Melchiſedecho, an Semus fuerit, vel Chriſtus, vel alius quiſpiam? de quo multa Cunæus, de Rep. Hebr.
De Lothi Uxore.
De 450 Annis Act. 13. 20. an ab Iſaaci Natalibus numerandi ſint, vel non?

Epocha Quarta.

A Jacobi Deſcenſu ad Exitum Iſraelitarum ex Ægypto.

Ingens hîc eſt hiatus in Hiſtoria, nec niſi per *Saltum* à Joſepho ad Moſen tranſitur, nempè ob altum in S. Scripturis de rebus Ægyptiacis ſilentium, & ſuſpectam adhuc Scriptorum Ethnicorum fidem. Quæres interim ſi libeat quem ordinem in Catalogo Antiquiorum Ægypti Regum tene-

eant isti Reges quorum fit in S. Scriptis mentio, scil.

Qui Josephum & Jacobum tot beneficiis accumulavit: Cui *Infanticidium* Hebræorum Crudelitatis infamiam allevit: & Quisnam erat cui cum Mose tandem lis erat.

De Jacobi Prophetia, Gen. 49. 10. de Sceptri desitione.

De Pyramidibus exstructis.

De Historia & Tempore Jobi.

Epocha Quinta.

Ab Exitu Israelitarum ad Mosis obitum.

De Miraculo in Rubro Mari.

De Balaam impiorum Coryphæo.

De Phinehæ Zelo singulari, quod in exemplum trahi non debet.

De 42 Stationibus Israelitarum, Num. 33.

De Obitu Mosis.

Epocha Sexta.

A Mosis Obitu ad Saulis Regnum.

De Annis Judicum in Genere.

De Annis post Mosen Josuæ assignandis.

De Libro Jasher in quo scripta refertur Statio Solis.

An à promissæ terræ sortitione vel aliunde numerandi sint 450 Anni, Act. 13. 20?

An supputatio Annorum Judicum vel cum, vel sine connumeratione *Annorum Servitutis* instituitur.

De numero Annorum *Servitutis* & *Quietis* toties in S. Scriptis commemoratæ.

De

De Immolatione Filiæ Jeptha.
De Annis Samueli adſcribendis.

Epocha Septima.

A Saulis inauguratione ad jactum Templi Fundamentum.
De Annis 40 Act. 13. 21. Sauli adſcriptis.
De Rejectione Saulis, Conſilióque cum Dæmone inito.
De Initio 40 Annorum Regni Davidici.

Epocha Octava.

A jacto Templi Fundamento ad Excidium Iſraelitarum.
De Interregnis addendis ad æquandos annos Iſraelitarum cum Regibus Judæ.
Quot annos quiſque Rex cum Patre, quot *ſolus* regnârit?
An Anni *Completi* fuerint vel *Inchoati*?
De Origine Olympiadum.
De Anno Urbis Romæ conditæ.
De Iſraelitarum deportatione.

Epocha Nona.

Ab Excidio Samariæ ad Excidium Hieroſolymorum.
De Retroceſſione Solis Hezekiæ in Signum datâ.
Sub quonam Rege cœperit *Captivitas Babylonica?*
De variis *Deportationibus* Judæorum.
De morte Jeremiæ Prophetæ, & Rege Ægypti, ſub quo erat interfectus, ut *Prophanæ Hiſtoriæ* cum

cum *Sacra connexio* ex Herodoto aliisque innotescat.

De Canone Ptolemæi.

Epocha Decima.

Ab Excidio Hierosolymorum ad Solutionem Captivitatis.

De Somniis Nebuchadnezaris.

De Evilmerodachi & Successorum ejus annis, laborant Historicæ Narrationes.

Quonam anno Cyri Solutio Captivitatis contigerit.

Epocha Undecima.

A Solutione Captivitatis ad Imperium Græcum.

Quo mortis genere Cyrus obierit?

De Restauratione Templi sub quonam Rege Persarum.

De diversitate Edictorum in favorem Judæorum.

De Danielis 70 Hebdomadibus.

De Esthere & Ahasuero.

De Festo Purim, Esth. 9. 31.

Epocha Duodecima.

Ab Initio Imperii Græci ad Æmilii triumphum de Perseo Macedonico.

De Genere Mortis Alexandri, & Successoribus ejus.

De Ptolemæo Philadelpho & Bibliotheca ejus.

De 70 Interpretibus, cellí que eorundem.

De Sævitia Antiochi erga Judæos, Templi sacrorúmque Violatione, & Pœnitentiâ ejus.

De

De Juda Maccabæo.

An à Victo Perſeo per Æmilium, vel Cleopatrâ per Auguſtum, rectius ſtatuatur initium Quarti Imperii.

Epocha Decima Tertia.

A Perſeo victo ad Cleopatram victam per Auguſtum, ſeu ad quartum Summum Imperium.

Epocha Decima Quarta.

A Cleopatra victa ad Natum Chriſtum.

Conſultò abſtinui ab infinitis aliis quæ obſervari ſolent aut diſputari, quoniam qui Incipientem in Hiſtoria moratur, deſperare jubet: præclive erit *Generali Apparatu* inſtructo altiùs velle ſapere, interim hac manuductione firmabitur memoria, & ab Annorum Geſtorúmque ἀμεθοδία quadantenus cautum erit.

CAP.

CAP. IV.

De Methodo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ poſt Chriſtum.

PRæcipua Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita ex Centuriatoribus Magdeburgenſibus potiſſimum & Cardinali Baronio deſcripſi, quorum (quicquid ſtudii Partium ipſis aliquando objicitur) accuratiſſima methodus, & infinita in verſandis veteribus induſtria, à doctiſſimis viris meritiſſimis laudibus celebratur. Audite Montacutium: Centuriatores Magdeb. Facinus aggreſſi pulcherrimum, Opus arduum, herculeam planè molitionem: qui de disjectis hinc inde & vagè variéque diſperſis ruderibus Antiquitatis, colliſæ, plerumque & diſſipatæ, ædificium quoddam uſu eximium, orbi Chriſtiano conſtruxerunt: Rerum ordo ſplendidus, Series & Methodus ſingularis, opus omni laude dignum, &c. R. Montacutius in Præfatione ad Apparatum ad Origines Eccleſiaſticas.

Cæſar Baronius, Vir ſummâ & prodigiosâ diligentiâ, nihil eſt penè quod magnoperè deſideres in Baronio, ſi abfuiſſet partium ſtudium. ibidem. Verùm ut Hiſtorica promptiùs, cùm tam multa ſint, & diſtinctiùs, cùm tam diverſa, quoties opus erit, in uſum ſuppetant, convenit iis omnibus Reſpectum aliquem inter ſe & quaſi compagem affingi, hoc eſt ſerie aliqua memorativâ ab Imperatorum ſucceſſionibus nata, tanquam ab invicem pendentia concatenari.

Sed

Sed quia eadem non eſt omnibus Memoriæ felicitas, & multoties contingit Juniores oneris metu deterreri, imprimis per Centurias ſupputatio inſtituatur, aut numeros Centuriis proximos. A Chriſto nato ad aliquem Trajani Annum, à Trajano ad Severum, à Severo ad Conſtantinum, &c. Conſule prænotanda ad Chronologiam Chriſtianam per Ph. Labbeum.

1. In Imperatore quæres de Nomine, Perſonâ, de Parentibus, Educatione, Virtutibus aut Vitiis, Uxoribus, Liberis, Actis Oeconomicis, Ingreſſu in Imperium, Sede Imperiali, Actis Politicis, Togatis & Bellicis, Actis Eccleſiaſticis, Viris illuſtribus Coætaneis, de Annis quibus imperavit, de Obitu.

2. Sub quovis Imperatore quæres de Eccleſiæ propagatione quibus orbis terrarum locis primo & deinceps facta; per quos, an Apoſtolos, aut Apoſtolorum Diſcipulos, quo Tempore, quibus *Modis*, quibus *Miraculis*, quo Succeſſu, anguſta Eccleſiæ pomœria paulatim extendebantur. Cent. Magdeburgenſes: Baronius.

3. De Perſecutionibus Eccleſiæ: quo Imperatore, quoto Anno. quo Prætextu; per Quos, quâ Ratione, quibus Locis magis vel minùs ſævitum. De variis Tormentorum generibus, de Conſtantia & Numero Martyrum; de Chriſtianorum nonnullorum defectione: De Apologiis exhibitis, à quibus, qua Occaſione, quibus Argumentis, quo Fructu. De Confeſſionibus magis illuſtribus nonnullorum Martyrum ſingularem in modum ſe gerentium, de Loco & Occaſione Martyrii. De Converſione Gentilium ſtupentium Chriſtianorum Fortitudinem. De Pœnis Perſecutorum. Conſule de primis Centuriis Scriptores Hiſtoricos, præcipuè Euſebium cum Notis Valeſii.

4 De

4. De Politia Eccleſiaſtica, maximè poſt Perſecutiones prædictas; de Apparatu ad Chriſtianiſmum ſub Conſtantio; de Conſtantini M. Indulgentia; de Perſonis ad miniſterium Eccleſiæ adhibitis; de Gradibus Miniſtrorum; de Officiis Miniſtrantium; de Adjumentis per pios Imperatores ad Politiam Eccleſiaſticam præſtitis. Euſebius cum Additionibus aliorum Scriptorum à prædicto Valeſio collectis.

5. De Conciliis: quo Tempore & Loco celebrata; qua Ratione, quo Autore, Univerſalia an Particularia; de Perſonis, Seſſionibus, Controverſiis, Canonibus, Duratione, Promulgatione, Executione Decretorum; Falſationibus nuper editis. Synopſis Hiſtorica Conciliorum, & Præfationes variæ Editioni Conciliorum præfixæ per Labbeum, Magd. Centuriatores, Baronius, Bellarminus, Summa Conciliorum per Coriolanum.

6. De Hæreſibus: de Autore, Occaſione, de Propugnatoribus, de Impugnatoribus, &c. conſule H. Dodwelli Epiſtolam ſecundam, de iis qui Hæreſes de Induſtria tractant.

7. De Schiſmatibus; quibus Occaſionibus orta, quo Loco, inter Quos, an damnata, an compoſita, &c. Cent. Magd. Baron.

8. De Viris Illuſtribus in quavis Centuria, ſecundùm Patrias & Eccleſias diſtinctis; de Apoſtolis & eorum Diſcipulis & Peregrinationibus; de Patribus Græcis & Latinis; de Epiſcopis, Pontificibus Romanis, &c. Cent. Magd. Baronius.

9. De Ritibus & Ceremoniis; de Conventibus Chriſtianorum, de Locis iſtorum Conventuum, de Conſecrationibus Locorum; quibus ſignis convocati, quibus ſtatis Temporibus: quid egerint Convenientes; de Ritibus in Baptiſmo, in Excommunica-

nicatione, in Cœna Dominica, in Orationibus, in Ordinationibus in Jejuniis, in Feſtis, in Nuptiis, in Viſitandis Ægrotis, in Sepultura, in Imperatorum Inauguratione, &c. Cent. Magd. Baronius.

Hactenus in genere de Locis communibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ poſt Chriſtum, ea *minutiùs* proſequi & utile ſuadebit olim & jucundum; methodum quod ſpectat eos ornatè diſponendi in libro Capitum, conſule Titulum ultimum Indicis Materiarum Theologicarum, *De Homine cum reſpectu ad Eccleſiam.*

Appa-

Apparatus Specialis
AD
THEOLOGIAM
PARS III.

De Munere Critico ſeu Textuali.

CAP. I.

De Laudibus Criticæ.

QUandoquidem in *Cognitione Rerum* mens Hominis impenſiſſimè verſatur, nullamque aliam *Literarum*, *Syllabarum*, *Vocumque*, rationem habet, quàm prout noſtris de Rebus *Conceptibus* exprimendis inſervi-unt: Non mirum ſi accuratius *Philologiæ* ſtudium, tanquam *Jejunum* & *Puerile* ad *Gymnaſia* reſtringatur: Sed magno rei Literariæ incommodo. Hinc iſta in Scholis ridenda Barbaries, & *Incertus* Terminorum delectus, unde tenebræ Veritati offuſæ:

Aliis nempè Rem eandem *diverſis* vocibus, aliis res diverſas vocibus *iiſdem* explicantibus.

Sed in Sacris tam impunè non eſt erratum: minoris conſtabat Hermolao Barbaro Ariſtotelis *Entelechian* quàm Arianis *Homouſion* ignorâſſe: Et quanti igitur intereſt, rectum S. Linguæ ſenſum textúmque non neſcire, ſi animæ ſalus unâ ſuſpendatur Literâ! Quid ſi ex Judæis plerique, & ex Chriſtianis (eorum ſequacibus nonnulli) de Literis & Syllabis ſoleant ineptire, cætera ſtudiorum genera forte ſtupidi? Vapulent iſti *Nugivenduli* modò *ſobrios* linguarum profeſſores, ſuus maneat illæſus *honor*. Quis æquo ſuſtinebit animo iſtud Faſtidium, quo Criticæ ſtudium laborat, tanquam *Vile*, *Laborioſum*, *Sterile*.

1. *Vile:* Iſti ſtudio Indignitatem objici! ſine cujus ope, nec Scientiæ perfectè communicari poſſunt, nec Societas Literaria conſervari! Quo omnes omnium Autorum *Obſcuritates* illuſtrantur! Quo *Vicinarum Gentium* doctiſſimus quiſque Theologus Famæ viam ſibi adſtruit! Et ſine quo ridetur (velut abſciſsâ Linguâ) & vel *Sibilare* deſinat, Orator etiam pluſquam Ciceronianus! Et quiſquis is eſt qui tantâ mentis ſublimitate ſibi placens, hanc Scientiam tanquam *Infra ſe* poſitam faſtuosè deſpicit, & ingeniis *parum felicibus* adjudicat, viderit ille, an inſigniores Critici qui aliis omnibus præſtant in *hac Scientiâ*, ipſi cedant in *ullâ*.

2. *Laborioſum:* Sanè, & forſan eo nomine tam *Rarum:* ſed ecquis, (cui ſanum ſinciput) laborem inter res vituperandas unquam annumeraverit? Credideram ſudoris in arce Virtutem poſitam, & ad Honoris Templum iſthac pergendum: Credideram

deram ſtudii Difficultatem, *Pulchritudinem* ejus comprobâſſe: Et jam non mirandum S. Textûs ſenſum tot Erroribus & Præjudiciis vitiari; quando Veritate loci vix à limine ſalutata, Præcipitem fert ſententiam delicatulus Interpres.

1. Qui in *mollitiem* ſolutus à laboribus & tædio abhorret.

2. Qui viribus *Imaginationis* abreptus habenas laxat Phantaſiæ.

3. Qui Ingenii *famæ* potiùs, quàm honeſto ſacræ Scripturæ ſtudio velificat. An non metuendum eſt, aut ab *Ignorantia* aut à *Militia* periculum?

3. *Sterile:* Effrons ille qui Criticæ Sterilitatem objicit, cui in S. Scriptis explicandis, applicandísque tantum Lucis Eccleſia debet, in *Antiquis Scriptoribus* deſideratæ. His armis *Socinianis* ſuccíſi nervi, ſuis nimirum *Chriſto* meritis, ſuo *Scripturæ* ſenſu, conſervatis. His Artibus debetur incredibilis per Germaniam Evangelii feſtinata coruſcatio: & per Europam Reformatæ Religionis *ſacra Contagia:* Hæc ideò dicenda duxi ne hodiernum (*Linguiſtæ*) tantùm non *proverbiale vilipendium*, Theologiæ candidatis animos frangeret, & ab Honorifico Studio nauſeabundos diſtineret.

De Commentatoribus, Criticis, &c. de Bibliorum Editionibus & Tranſlationibus, conſule Voetii Biblioth. Theolog. Prolegom. ad Polyglott. Wilkinſii Eccleſiaſten: de Veterum Interpretationibus in Scripturas vide S. Senenſem: de Textibus conſule egregiam Synopſin Criticorum per M. Pool.

CAP. II.

De Exercitio Criticæ in S. Scripturis.

FOntes difficultatum quos apud Criticos obſervavi, vel *Senſum* reſpiciunt vel *Textum*.

1. Senſus loci eruendus eſt, verborum *Explicatione* & *Applicatione* debita; ope *Grammaticæ* ſi verba ſunt Propria, ſi Figurata ope *Rhetoricæ*; nam aliquando Propria Nomina pro Patronymicis & Gentilibus ponuntur ut *Iſrael* pro *Poſteritate*. Accidentia propria pro Re ipſa, ut *Arida* pro *Terra*. Abſtracta pro Perſonis, *Circumciſio* pro *Judais*. Participia pro Nominibus, Præteritum pro Futuro. Anthropopathica, Parabolica, &c. quæ in omnibus non quadrant, & proinde urgenda non ſunt. Quid aliud ſonat *Velamen* Moſis, quàm Scriptorum Obſcuritatem, (ut nihil dicam de *Novitate Rerum* à nullo Philoſopho traditarum) ex *Ceremoniis* aliud quid à Verbis ſignificantibus? Ex infinito Præceptorum, Traditionúmque *numero*, ortam? Quid aliud in Prophetis ſonat, *Obſignatio*, *Viſio*, quàm Obſcuritatem ſenſûs quæ augetur per *ſimilia*, *Allegorias*, &c. aliiſque modis mox enumerandis?

2. Præter vocabuli *Simplicis* ambiguitatem, contingit multoties difficultas in Senſu, ex ἀμφιβολία totius *Contextûs*; adeò ut antecedentium & conſequentium connexio preſſiùs ſit examinanda (qui *Calvino* mos eſt;) *Circumſtantiæ ſcopus*, *mens Auctoris*, *Scriptionis occaſio*, *tempus*, *modus loquendi* Scripto-

Scriptori peculiaris reſpici debent. Item *Loca Parallela* ſuppetias ferent, idque vel loci alibi repetiti, ut in *Junii Parallelis*, aut dati loci collatio cum locis Similaribus in ſenſu congruentibus, quod à *Chemnicio* factum.

3. Ex Alluſione facta ad conſuetudinem aliquam inter Judæos hodiè *paucis notam*, quorum nec *Mores*, nec *Res uſûs quotidiani*, aliis nationibus conveniebant.

4. In Rebus *Geſtis* ac *Perſonis* aliquando deficere, aut redundare videtur Hiſtorica Narratio; & Supputationes Chronologicæ, aut inter ſe, aut ab aliis ſcriptis fide dignis, videntur nonnunquam diſcrepare.

Difficultates in Textu vel *Integro* vel *Corrupto* contingunt.

I. In Textu *Integro* contingunt.

1. Ob Idiotiſmos Linguarum Orientalium, non omnibus familiares, & proinde in *Verſionibus* diſperditos, tum Græcâ, tum Latinâ, ut Auguſtinus & Hieronymus conqueruntur.

2. Ob frequentes in S. Scripturis *Elleipſes* & dictiones Elleipticas, aliquando *brevitatem*, aliquando *Affectuum celeritatem* ſignificantes: ob *Pleonaſmos* aliquando Vim, & Emphaſin, Multitudinem, Diverſitatem, & Diſtributionem, notantes, iſtis Nationibus magis in Uſu.

3. Ob *Paucitatem* verborum originalium in V. Teſtamento, & proinde *Latitudinem*, ne dicam *Oppoſitionem* ſignificationis in vocibus ſimplicibus.

4. Ob verborum in Græca Lingua *Copiam*; unde ſæpè contingit ut eadem vox *Hebræa*, non ſem-

per reddatur per eandem vocem *Græcam*, adeóq; Vocum diversitate apud incautos aliqualem etiam in sensu diversitatem arguente. Quid dicam de *Dialectis*, *singularibus Vocibus*, *& Phrasibus*, *Hebraismis*, *variis Lectionibus* (unde variæ Translationes) *Additione*, *Omissione*, *Transpositione*: Quædam iisdem Literis, Syllabis, & Accentibus constantia, in significatione tamen differunt.

5. Ista verborum & significationum copia non oritur tantùm ex numero Thematum simplicium, sed insuper ex *Præpositionibus* in compositione, quæ simplicium verborum significationem, ità *augent*, *diminuunt*, *alienant*, ut vox *Originalis* pars sui minima videatur: Hinc lata ad Hæreses feneſtra: Hinc infinita novaturiendi materies: Hoc cardine vertitur Socinianismus, cavens nimirum sibi *à labore*, omnem Antiquitatis autoritatem convellit, Rationem scil. efferens, sed reverà verborum significationibus vim faciens, arreptâ ansâ ex ambiguitate *Præpositionum in Compositione* natâ, & punctationibus facilè corrumpendis. Hos dolos hodiè luit Christianismus, & hæc est ista Ratio cum qua gestiunt insanire Sociniani.

II. Difficultas in Textu *Corrupto*, idque vel *Casu* vel *Consilio*.

1. *Casu* corruptus Textus.

1. Mixtione verborum *vicinarum* Gentium, quæ notabit Junior quoties in legendis Criticis occurrunt.

2. Ignorantiâ vel Incuriâ *Amanuensium*, non obstante maximâ Judæorum curâ, difficultates ex hoc fonte ortæ innumeræ sunt.

3. Ar-

3. Arbitrariâ impoſitione *punctorum*, ſingulis nempe legentibus, quod à Præceptoribus didicerant, idémque tanquam Divinum Oraculum tradentibus; *Punctorum* igitur *Antiquitas*, *Autores Uſus & Defectus* inquirendi.

4. A facili tranſmutatione Literarum ejuſdem *Organi* & affini Pronunciatione; de diſtincta igitur earundem Cognitione & Pronunciatione laborandum.

2. *Conſilio* corruptus Textus.

A Judæis (ut vulgò dicitur) & ab Hæreticorum Anteſignanis poſt Chriſtum, ut nihil dicam de Orthodoxis, & ſectarum recentiorum juratis Ductoribus

De Ratione Interpretandi Scripturam quinam egerint. Poſſevin. Bibl. Sel. l. 2. c. 15.

Catalogum *Expoſitorum* S. Scripturæ qui vel in omnes, vel in aliquot, vel in ſingulos Libros ſcripſerunt, vide apud S. Senenſ. l. 4. Uberiorem factum à Poſſevino Bibl. ſelect. l. 2.

Anno 1662. Impenſis Joan. Williams ad Coronam in Cœmeterio S. Pauli prodiit liber, cui Titulus erat, Accurata Collectio ſeu Catalogus Scriptorum Anglicanorum in V. & N. Teſtamentum, *Commentatorum*, *Elucidatorum*, *Adnotatorum* ſeu *Expoſitorum* in Libros, Capita, & ſingulares Verſiculos: Promiſitque Autor continuationem, utinam abſolviſſet Fidem, eâdémque Methodo, recentiores tractatus Theologicos in Faſciculum colligeret.

CAP. III.

Catalogus difficilium in S. Scripturis Textuum.

UT certiùs constet de Proposito commodo hujus Catalogi, moneo,

1. Mihi in animo non esse omnia & singula loca difficilia S. Scriptorum, in hunc brevem indicem congerere.

2. Scrupulos Chronologicos & Historicos maximam partem omissos, tum qui infiniti sunt, tum qui non hujus loci.

3. Quædam hîc recenseri loca, quæ primâ fortè facie nec difficultatis aliquid, nec momenti multum præ se ferre videantur, quæ tamen post *secundas Cogitationes* fortasse Criticam exercebunt.

4. Ut Juniores tædii metu liberarem, ostendo apicem *Difficultatis* in Textu, unius aut alterius Vocabuli adjectione, quoties Verborum paucitate id fieri potest.

GENESIS.

Cap.	Ver.	
1	26.	Faciamus Hominem ad Imaginem & Similitudinem.
2	17.	Morte moriemini.
3	15.	Semen Mulieris, ipse vel ipsa, conteret.
6	3.	Non permanebit Spiritus.

Cap. Ver.

6 6 Pœnituit Jehovam de Immutabilitate Decreti.

9 6 Per hominem ſanguis ejus effunditor: Origo Magiſtratûs.

11 12 Cajnan ſecundus Lucæ 3. commemoratus.

12 6 Chananæus autem tunc erat in terra.

13 Dic obſecro, quòd Soror mea ſis.

14 18 Melchiſedechus quis?

15 13 Quadringentis Annis.

16 Nec dum completæ Iniquitates.

16 2 Ingredere ad Ancillam; de Crimine Adulterii ante Legem.

17 13 Pactum meum in Carne in fœdus æternum: contra Anabaptiſtas.

18 Interibit anima illa: hinc Auguſtinus ſeverus in Infantes.

18 2 Adoravit, malè redditum.

21 Deſcendam.

19 26 In Statuam Salis.

20 6 Cuſtodivi Te ne peccares.

22 2 Offer Filium tuum.

27 9 Ego ſum Eſau Primogenitus.

46 26,27 Pugnat cum Act. 7. 14. dicitúrque unum ex Inſolubilibus.

49 10 Non recedet Sceptrum de Juda: de quo Cunæus.

50 20 Vos cogitâſtis malum de me, ſed Deus.

EXODUS.

1 19,20 De Obſtetricibus mentientibus.

3 5 Solve Calceamentum, locus enim: de locorum ſanctitate.

Cap. Ver.

4 21 Ego indurabo Cor ejus, v. Cap. 9. 16. Id-circo posui te.

25 Tzippora amputavit: de Mulieribus baptizantibus.

6 3 Nomen meum Adonai de Nomine Tetragrammato Drusius aliique.

7 11,12 Conversi sunt Baculi: an à malis Angelis vel Hominibus miracula propriè dicta fiant, v. Cap. 8. 7.

12 40 Quadringentorum triginta Annorum.

20 5 Visitans iniquitatem Patrum in Filios, v. Ezek. 18. 20.

23 4,5 Si occurreris bovi Inimici tui.

29 44 Sanctificabo Aaron ut sacerdotio fungatur.

32 4 Aaron fecit ex eis Vitulum: v. ver. 25.

32 Dele me de Libro tuo.

34 29 Cornuta Facies: malè redditum.

LEVITICUS.

2 13 Sal fœderis.

8 3,4 Congregatâ omni turbâ.

17 10,11 Si comederit sanguinem, quia anima, &c.

18 5 Quæ faciens homo vivet in eis.

19 28 Super mortuo non incidetis carnem vestrum.

21 17 Qui habuerit maculam non offeret.

27 28 Omne quod Domino consecratur, non vendetur.

NUMERI.

16 3 Omnis multitudo sanctorum est.

38 Eò quòd sanctificata sint.

12 Quia

Cap. Ver.

20 12 Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me.

22 18 Non potero immutare verbum Domini, vide verſ. 38.

23 10 Moriatur Anima mea morte juſtorum.

24 17 Stella de Jacob, & Virga.

31 16 Ad ſuggeſtionem Balaam.

DEUTERONOM.

4 2 Non addetis.

15 Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem.

12 13, 14. Cave ne offeras in omni loco, ſed in eo.

13 2 Evenerit, Alienos Deos.

14 1 Calvitium ſuper Mortuo.

18 15 Prophetam ſicut Me.

23 19, 20. Non fœnerabis fratri.

34 6 Et ſepelivit eum. uſque in præſentem diem.

JOSHUA.

10 13 In Libro Jaſhar.

13 14 Tribui Levi non dedit Poſſeſſionem: male colligitur Clericis non licere ullas habere Poſſeſſiones.

14 15 Kiriatharba.

24 15 Optio vobis datur: de libero Arbitrio in moralibus.

JUDIC.

6 13 Si Dominus nobiſcum, cur apprehenderunt Nos hæc omnia?

11 39 Plangunt Filiam Jepthæ.

Cap. Ver.

17 1 Quære quò ſpectant quæ ab hoc capite ad finem narrantur.
3 Sculptile & conflatile, vovi hoc Domino.
19 24 Ecce Filiam meam.

SAM. I.

2 6 Dominus deducit ad Inferos & reducit: de Purgatorio.
10 26 Quorum corda Deus tetigerat: de libero Arbitrio in civilibus rebus.
16 14 Spiritus malus à Jehova.
21 5 Panis ſacer adeſt, ſi caverint ſibi Pueri à Mulieribus.
28 12 Cùm videret Mulier Samuelem.

SAM. II.

7 12,13,14 Stabiliam Solium: de Chriſto contra Judæos.
12 11, 12 Ego ſuſcitabo. Ego dabo.
13 Peccavi. Deus tranſtulit Peccatum tuum.
14 Filius morte morietur.
16 Utens jejunio, pernoctavit: de ſatisfactione pro reatu pœnæ Temporalis per pœnas ſponte aſſumptas. verſ. 22.
16 10 Jehova dixit maledic Davidi: an Deus impellat vel inclinet aliquem ad mala, cap. 24. 1.

REG. I.

11 3,4 Cùm jam ſenex eſſet depravatum eſt Cor ejus; an Solomon unquam reſipuerit.

REG.

REG. II.

Cap. Ver.

5 18 Si adoravero in Templo Rimmon. Vade in pace.

8 26 Viginti Annorum duorum. Unum ex insolubilibus.

20 1 Brevi tu morieris, vers. 6. addam quindecim annos.

11 Reduxit umbram.

CHRON. I.

29 29 Libro Nathan, & Volumine Gad.

CHRON. II.

22 2 Quadraginta duorum Annorum: unum ex insolubilibus.

NEHEMI.

8 2 Cunctis qui poterant intelligere.

JOB.

2 9 Benedic Deo & morere.

14 14 Donec veniat Immutatio mea.

40 10 Ecce Behemoth.

PSALM.

1 5 Non refurgent Impii.

2 12 Apprehendite Disciplinam, Osculamini Filium.

Cap. Ver.

40 8 In capite libri.
49 16 Ex Inferno.
78 49 Immissiones per Angelos malos.
88 10 Numquid mortuis facies mirabilia? aut Medici suscitabunt?
91 6 Ab incursu & Dæmonio meridiano.
96 10 Dominus regnavit.

ECCLESIASTES.

3 19,20 Sicut moritur homo,— Omnia pergunt ad unum locum.
9 1,2 Nescit homo utrum, æquè eveniunt.
11 3 Si ceciderit Lignum. Hieronymus contra Purgatorium.
12 6 Funiculus Argenteus, & Vitta Aurea: de Circulatione Sanguinis.

ISAIA.

2 11 Quia excelsus reputatus est ipse.
9 6 Vocabitur Nomen ejus.
45 1 Hæc dicit Dominus Cyro.
53 Contra Socinianos.
65 17 Cœlos novos & Terram novam.

JEREM.

7 18 Ut faciant Placentas Reginæ Cœli.
10 23 Nec Viri est ut ambulet, & dirigat Gressus suos.
12 1 Quare Via impiorum prosperatur.
18 6 Nunquid sicut Figulus iste?
23 5 Suscitabo Davidi Germen justum.

7. Quæ-

Cap. Ver.

20 7 Quærite pacem Civitatis ad quam transmigrare feci vos, & orate pro ea.

51 13, 33 Finis præcisionis tuæ, tempus trituræ ejus.

EZEK.

1 5 Quatuor animalium, similitudo Hominis in eis.

3 11 Si forte audiant.

18 In iniquitate sua morietur, sanguinem autem.

20 Si conversus justus à justitia sua.

14 9 Ego Dominus decepi Prophetam illum.

14 Noah, Daniel, & Jobus.

18 4 Anima quæ peccaverit ipsa morietur.

23 Nunquid Voluntatis meæ est mors Impii, cap. 33. 11.

20 25 Præcepta non bona.

38 2 Terram Magog.

48 14 Neque transferentur Primitiæ terræ, quia sanctificatæ.

DAN.

2 31 Statua Grandis.

7 25 Tempus, Tempora & Dimidium Temporis.

9 24 Septuaginta Hebdomades.

9 25 Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur.

27 Hebdomadâ unâ, & in dimidio.

HO-

HOSEA.

Cap. Ver.

Vide Cl. Pocockii Indicem locorum memorabilium.

JOEL.

3 2 Vallem Josaphat.

AMOS.

3 6 Si erit malum in Civitate quod Dominus non fecerit.

JONAS.

3 4 Adhuc quadraginta dies.
9 Quis scit si convertatur.

HABBAC.

2 4 Justus in fide sua vivet: malè colligitur omnes in sua quavis religione salvandos.

ZACHAR.

1 12 Usquequo tu non misereberis.
3 9 Adducam servum meum Orientem.
9 11 Vinctos de lacu.

MA-

MALACH.

Cap. Ver.

2 3 Dilexi Jacob, Esau autem odio habui.

4 5 Ego mittam vobis Eliam antequam veniat dies horribilis.

MATTH.

1 16 Joseph Virum Mariæ.
17 Generationes quatuordecim.
25 Non cognoscebat Eam donec.

3 11 Ego quidem baptizo vos: de Baptismo Johannis & Christi.

5 17 Adimplere.
32 Exceptâ Fornicationis causâ.
34 Nolite jurare.

6 9 Sic ergo vos orabitis, vide Luc. 11. 2.
11 Panem supersubstantialem.

11 4, 5 Renunciate Joanni Cæci vident: de necessitate Fidei ante Christum.
28 Venite ad me omnes: de Gratia Universali.

13 30 Sinite utraque crescere.

15 5 Munus.

16 18 Super hanc Petram: 19 Tibi dabo Claves.

17 11 Elias restituet omnia.

18 10 Angeli eorum.
18 Quæcunque solveritis.

Cap. Ver.

19 9 Et aliam duxerit.
21 Si vis perfectus esse, vade, vende.
20 26 Non ita erit inter Vos.
22 10 Malos & Bonos.
24 24 Si fieri potest etiam Electi.
36 Nisi solus Pater.
26 21 Unus vestrum me traditurus est: An Pessimi arcendi à Cœna?
27 9 Zacharias vocatur Jeremias: unum ex insolubilibus.
52 Corpora Sanctorum surrexerunt.
28 20 Ego vobiscum sum ad consummationem seculi.

MARCUS.

1 4 Baptismum Pœnitentiæ in Remissionem, an faciat pro Opere Operato?
9 1 Regnum Dei veniens in Virtute.
10 Conquirentes quid esset, cùm à mortuis resurrexerit.
11 13 Non enim erat Tempus Ficorum.
13 14 Abominationem Desolationis.
32 Neque Filius: de Omniscientia Christi.
16 Caput hoc in dubium vocatur: Hieron. Cajetan.

LUC.

1 1 Multi aggressi sunt. Quinam illi?
3 *Ἀνωθεν.

5 De

Cap. Ver.

1 5 De Vice Abia.
17 Ut convertat Corda Patrum.
32 Filius Altiſſimi vocabitur.
2 1 Οἰκουμένη.
2 Deſcriptio prima facta.
14 Pax Hominibus bonæ Voluntatis.
35 Pertranſibit Gladius.
52 Jeſus proficiebat: de incremento Sapientiæ Chriſti.
3 2 Sub Principibus Anna & Caipha.
23 Quaſi Annorum triginta; ut putabatur Filius Joſephi.
36 Qui fuit Cajnan: Gen. 11. deſideratur.
6 1 Sabbato Secundo—Primo.
7 47 Remittuntur ei Peccata quoniam.
9 62 Manum ſuam ad Aratrum & reſpiciens retró.
11 2 Cùm Oratis dicite: de Formulis Precum.
12 10 In Spiritum Sanctum blaſphemaverit.
16 29 Habent Moſen & Prophetas, audiant illos: de Lectione Scripturæ in Lingua Vernacula.
23 43 Hodie mecum eris in Paradiſo.
24 16 Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.
28 Ipſe ſe finxit longius ire.

JOAN.

Cap. Ver.

1 1 Deus erat Verbum, v. 3. Omnia per ipsum facta.

14 Verbum Caro factum: de Samosatenianis.

18 Ipse enarravit: de Christo Veteribus noto: vide cap. 7. 39.

3 16, 17 Sic Deus dilexit mundum: de Mundi nomine apud Joannem, an unquam solos Fideles spectet: c. 1. 29. c. 4. 42. c. 6. 51. cap. 12. 47.

34 Non enim dat Deus Spiritum: Num Spiritus S. à Patre solo.

6 53 Nisi manducaveritis Carnem Filii Hominis: vide vers. 56.

8 1 Jesus autem perrexit in montem: de principio hujus Capitis, & Historia Adulteræ, vide Cajetanum, & contra eum Ambrosium Catharinum.

34 Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Negat Theophylac. in Sacerdotibus Potestatem remittendi, quia & ipsi peccant.

58 Antequam Abraham fieret, Ego sum.

14 16 Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit: Vide cap. 3. 34. & cap. 15. 26. de Processione Spiritûs Sancti à solo Patre.

15 22 Si non locutus fuissem: de Infidelitate negativa, an sit Peccatum?

22 Ma-

Cap. Ver.

21 22 Manere donec veniam.
25 Nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe.

ACT.

1 18 Suſpenſus crepuit medius.
26 Dederunt ſortes.
2 27 Animam meam in Inferno.
4 32 Aliquid ſuum eſſe dicebat.
5 4 Non eſt mentitus hominibus ſed Deo, vide verſ. 3.
7 6 Malè tractabunt eos Annis quadringentis.
10 4 Orationes & Eleemoſynæ tuæ aſcenderunt: cum Act. 10. 35.
12 15 Angelus ejus eſt.
13 20 Quadringentos & quinquaginta Annos: unum ex Inſolubilibus.
48 Quotquot erant præordinati.
15 20 A Fornicatione & ſuffocatis.
17 23 Ignoto Deo.
30 Deſpiciens Deus.
19 3 Cum 5. In Joannis baptiſmate, baptizati in nomine Domini Jeſu.
21 24 Sanctifica Te cum illis.

AD ROM.

1 1 Segregatus in Evangelium.
20 Per ea quæ facta ſunt, Intellecta.
2 11 Non eſt acceptio Perſonarum.

Cap. Ver.

2 12 Sine Lege peribunt.

5 12 In quo omnes peccaverunt. Num Peccatum Adæ ad Posteros transierit Culpa vel Pœna, Occasione aut Imitatione tantum.

18 In omnes in Justificationem.

6 3 In morte ejus baptizati.

23 Stipendia Peccati Mors.

7 Integrum Caput.

9 3 Anathema pro Fratribus!

22 Vasa Iræ apta in Interitum.

13 2 Damnationem acquirunt.

14 14 Ei qui existimat quid Commune, illi commune est.

22 Penes temetipsum habe.

23 Omne quod non est ex Fide, peccatum est.

AD COR. I.

2 15 Spiritualis judicat omnia.

3 9 Dei sumus Adjutores.

15 Sic tamen quasi per Ignem.

5 2 Tollatur de medio Vestrum.

5 Tradere hujusmodi Satanæ.

6 1 Audet aliquis Vestrum Judicari.

4 Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constitue ad judicandum.

7 6 Hoc dico secundum Indulgentiam.

10 Non ego sed Dominus.

14 Nunc autem sancti sunt.

26 Hoc bonum esse propter instantem necessitatem.

11 Peribit

Cap. Ver.

8 11 Peribit infirmus frater propter quem Chriſtus mortuus eſt.
9 5 Sororem circumducendi.
22 Omnibus omnia factus ſum.
11 10 Propter Angelos.
14 Ipſa Natura.
22 Nunquid Domos non habetis ad manducandum.
29 Non dijudicans corpus Domini.
12 31 Excellentiorem viam.
13 1 Charitatem autem non habeo.
15 28 Tunc & ipſe Filius ſubjectus erit.
29 Qui baptizantur pro Mortuis.
16 22 Anathema.

AD COR. II.

8 18 Fratrem cujus laus eſt in Evangelio.
12 2 Sive in Corpore.
7 Stimulus Carnis meæ, Angelus Satanæ.

AD GALAT.

1 15 Placuit ei qui me ſegregavit.
2 11 In faciem ei reſtiti.
6 5 Unuſquiſque onus ſuum portabit.

AD EPHES.

1 2 Principem Poteſtatis Aeris.

Cap. Ver.

3 12 Confidentia per Fidem ejus: An Fiducia sit Essentialis Forma Fidei.

4 9 Quid est nisi quia & descendit.

AD PHILIP.

4 17 Fructum abundantem in ratione vestra.

AD COLOSS.

1 24 Adimpleo ea quæ desunt.

AD THESSAL. I.

4 16 Mortui qui in Christo sunt resurgent primi.

5 21 Omnia probate.

AD THESSAL. II.

2 3 Filius Perditionis.

4 In Templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.

8 Revelabitur ille iniquus.

9 Omni Virtute, & Signis & Prodigiis mendacibus.

AD

AD TIMOTH. I.

Cap.	Ver.	
1	13	Quia feci in incredulitate.
2	5	Homo Christus Jesus: An Christus secundum Humanam tantùm Naturam sit Mediator.
3	2	Unius Uxoris Virum.
	15	Columna & Firmamentum Veritatis.
	16	Justificatum in Spiritu.
5	19	Adversus Presbyterum.

AD TIM. II.

1	18	Det illi Dominus in illa die.

AD TITUM.

1	5	Quæ desunt corrigas: & constituas Presbyteros.
	7	Non Percussorem.
2	11	Apparuit omnibus Hominibus.

AD HEB.

1	2	Per quem fecit & secula.
	7	Ministros suos Flammam Ignis: An Angeli corporei.

JACOB.

Cap. Ver.

1 15 Concupiſcentia cùm conceperit parit peccatum.
2 24 Juſtificatur, & non ex Fide tantum.
5 14 Ungentes eum cum Oleo ſancto.
16 Confitemini peccata Veſtra.
20 Operiet multitudinem peccatorum.

PET. I.

3 19 Spiritibus qui in Carcere erant.
4 6 Mortuis evangelizatum eſt.
5 13 In Babylone.

PET. II.

1 19 Firmiorem Propheticum Sermonem.
20 Omnis Prophetia propriâ interpretatione non fit.
3 16 Quædam difficilia intellectu.

JOAN. I.

2 18 Noviſſima hora, Antichriſti multi, v. 22.
5 7 Hi tres Unum ſunt, ver. 8.
16 Peccatum non ad mortem.

JUD.

JUD.

Cap. Ver.

9 Altercaretur de Moſis Corpore.
14 Prophetavit de his Enoch.

APOCAL.

20 4 Regnârunt cum Chriſto mille Annos.
6 Reſurrectione primâ.
14 Infernus & Mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis, an Pœnæ infernales ſint æternæ.

Appa-

Apparatus Specialis
AD
THEOLOGIAM
PARS IV.

De Munere Caſuiſtico ſeu Morali.

PRÆFATIO.

QUoniam integrum Corpus Theologiæ Moralis non aggredior & Junioribus per Ætatem non convenit Caſuiſticæ Praxis: mittam inſigniora capita quæ pleniùs à Scholaſticis aliiſque viris doctis tractari ſolent, qualia ſunt:

De Principiis Humanarum Actionum.
De Voluntario & Involuntario.
De Conſcientiæ Genere, Subjecto, Objecto, Actu primario.

De

De distributione Casuum Conscientiæ diversimodè à Pontificiis, Lutheranis & Calvinianis, &c.
De variis Principiis ex quibus solvuntur Casus.
De fallacibus Regulis Actionum.
De differentia divinarum & humanarum Legum in Obligatione Conscientiæ.
De Virtute & Vitio.
De Præceptis Decalogi quatenus affirmativè aut negativè obligant, aliáque innumera ex his pendentia.

Attamen in usum Juniorum pauca quæ sequuntur excerpenda duxi ex Casuistis, Collectoris potiùs quàm Autoris partes agens, quæque illi strictim & more forsan nimium Scholastico tradunt, ego liberiore calamo laxavi.

1. De Conscientiæ Regula.
2. De Origine Casuum Conscientiæ.
3. De Praxi Casuisticæ quatenus Pastorem spectat.
4. De Praxi Casuisticæ quatenus pœnitentem spectat.

CAP.

CAP. I.

De Patefactione Voluntatis Divinæ, ſeu de Regula Conſcientiæ.

CONſcientiæ Regula adæquata non poteſt eſſe alia quàm Dei voluntas, quam proinde expedit inveſtigari, juxta varios modos quibus ad ejuſdem cognitionem pervenitur. Ingenito *Naturæ Lumini* tenebras obduxit & *Imaginem Dei* conſpurcavit infauſtus Adami lapſus: & quale quale ſubſidium perferebat Oralis Traditio Præceptorum & Promiſſionum quæ in familiis Patriarcharum vigebat, Hominum teſtimonio ad Poſteros derivata, *humanam* ea tantùm *Fidem*, debilémque aſſenſum ingenerare valuit, adeóque creſcentibus cum humano genere vitiis, & (vitiorum maximo) Idololatriæ, impar extitit.

Divinum igitur Numen (ſummâ quâ erat miſericordiâ) proſpexit humano generi, ut nempè per Scripta Moſaica certiùs conſtaret, de *Origine Mundi*, *Creatione & Lapſu* Hominis, gliſcentis peccati internecione *Deluvianâ*, irrito Turris *Babilonicæ* conatu, *Linguarum Confuſione*, indéque nata Hominum *diſpertione*; promiſſis *Abrahamo* factis, ſervitute *Iſraelitarum*, *Educatione* Moſis, & per Moſem populi ex Ægypto ſtupendo *Exitu*.

Et

Et ne ſui quaſi Juris jam factus, inſoleſcens populus, moribus inconditis laſciviret, Naturæ legem de novo redintegravit Deus, *Divinóque Cultui*, cavebat per *Ritus* & *Ceremonias:* & *Politiæ* per *Judicia* ſcriptis conſignata: Scriptis inquam Moſaicis non tantùm ſuo populo, ſed per eum *aliis* etiam *Gentibus* inſervituris, Deut. 4. 6, 7, 8. Et ne quam excuſationis ſpeciem præ ſe ferret ignorantiæ prætextus, certos homines è cæteris diſtinxit & in *Miniſterium conſecravit*, per quos voluntas ejus iis innoteſceret, tandémque *immorigero* Populo, & comminationibus intentatis reluctanti, *Fatalem* poſtinde Periodum per Prophetas denunciavit: cúmque aliquandiu pœnas Iniquitatis dediſſet Populus Iſraeliticus, *plenitudo temporis* maturavit promiſſi ſeminis adventum, adeóque fidem Abrahamo & Davidi factam abſolvit; jámq; Deus multifariam *multísque modis* olim Patribus loquens in Prophetis, noviſſimè nobis loquutus eſt in Filio. Qui ampliavit Civitatis Dei pomeria, & in Scriptis novi Teſtamenti, *(perfectiſſimâ* Voluntatis Divinæ *Revelatione)* adimplevit Fidei Morúmque Canonem, per Apoſtolorum Succeſſores explicandum inculcandúmque debitè ſemper obſervato, quem habet Lex Naturæ, & Lex Moſaica, ad Legem Evangelicam, reſpectu.

Et quoniam nihil eſt proprium Conſcientiæ objectum niſi quatenus vel per ſe, vel per circumſtantias *moraliter* bonum aut malum; proinde opus eſt præeunte *Rectæ Rationis Regulâ*, antequam ad ſacras Scripturas deveniatur: quam ob cauſam poſt expeditum Philoſophiæ curſum, animúmque aliarum Diſci-

Disciplinarum Conclusionibus benè instructum, in *Moralibus Ethnicorum scriptis* versatissimum esse convenit, quisquis in votis habet ad Casuisticæ praxin feliciter munire viam: Hinc causas Boni & Mali, Actus voluntarios & involuntarios, ex Principiis Humanarum Actionum penitiùs intellectis meliùs perpendet. Hinc de Mediocritate inter *Excessum* & *Defectum* Virtutibus essentiali, & de Natura Passionum licebit dijudicare! Deinde ad Quæstiones de his omnibus ventilatas pergendum, quas præstant Tho. Aquinatis summa, in qua, Ratione agitur, non Autoritate: quam summam quasi quintam Essentiam omnium laborum expressit, ostenditque seriem quæ cuique in studiorum hoc genere adhibenda est. Possevin. Biblioth. l. 3. Insuper si post hæc Elementa *Juris-Prudentiæ* à Zouchio tradita probè calluerit, *Regulásque Juris*, ad Sententiam, de Casibus Conscientiæ quatenus ejus Regulæ sunt Rectæ Rationis dictamina, ferendam, paratior accedit.

Sed perfectissima Conscientiæ Regula est Voluntas Divina in *Scriptis sacris* revelata; & certè Theologo, præsertim cui res est cum Casibus Conscientiæ, *hic labor, hoc opus est*, nam præter difficultates in rite assequendo Spiritûs Sancti proposito, quas tum in *sensu* tum in *Textu*, suprà de munere Critico perstrinxi; in quantum *formandis moribus* S. Scripturæ sunt usui futuræ novæ sunt & multum diversæ considerationis, quæque *subactum Judicium*, infinitámque exercitationem postulant, ad Analogiam Fidei, Contextuúmque paralleliſmum ediscendum. Quàm facilè continget errare in Locis & *Exemplis* Veteris Testamenti

applicandis, nisi quod in iis est singulare cautè distinguatur, & quantó perfectiorem obedientiam circa eadem præcepta, à Christianis quàm à Judæis exigit Deus, sedulò observetur? Quantâ denique sagacitate opus est; *paucorum* in generali *Præceptorum* ductu, de casibus infinitis statuere circumstantiarum varietate differentibus? Tanti est Hominem Dei ad omne opus perfectè institutum reddere! Oh nunquam pœnitenda studia; in hunc maximè Finem collocata: *Errantibus* monstrare viam, *firmare dubitantes*, opinantes *formidine* liberare, oleóque infuso refocillare scrupulis exulceratum animum! Oh necessarium! Oh dignum Evangelicâ charitate Munus! sustentare decumbentis anhelantem animam, onerosâ reatûs mole levare, & æternæ salutis erigere aliquantillâ spe, ad cœleste Tribunal, jam jam migraturam.

CAP. II.

De Conscientiæ Casuum Origine.

TAm *Sacra* Scripta quàm *Prophana* testantur, & Hominum optimorum pessimorúmque exemplis illustrant, inditam esse Creaturis Ratione præditis facultatem applicandi ad notitiam Universalem *(sive Juris)* particularem notitiam *(sive Rei)* faciendæ, unde vel Instigatio vel Retractio; sive Rei jam factæ, unde Approbatio vel Condem-

demnatio, & proinde aut Gaudium aut Triſtitia contingit: Vide plura apud Sanderſonum.

Diſpiciendum jam paucis unde oriantur iſta dubia & Difficultates, quæ Caſus Conſcientiæ vulgò appellantur, cur *Caſuum nomine* vocantur viderint Scholaſtici, de Re per nomen ſignificatâ quæritur.

Liberè Agentibus propter finem per media præſumitur Actionum Regula, cujus Regulæ notitia quatenus ad Actionem obligat, ſubit Rationem Legis, ad cujus obligationem ſupponitur Promulgatio: Proinde Deus patefecit voluntatem ſuam tum lumine mentis ſive *rectâ Ratione* quæ Lex Naturalis, tum ſcripto Verbo quod *Poſitiva Lex* dicitur, ob Lumen uberius, magis obligans quibus poſita eſt.

Superfuiſſe nobis poſt lapſum nonnulla Imaginis Dei Veſtigia, naturalésque Divinæ Voluntatis monitiones, produnt *Prima* ea Rectæ Rationis Dictamina quæ univerſo humani generis conſenſu (obſtrepente nequicquam Hobbeſio) comprobantur. *Deum eſſe colendum*, *Innocentem non lædendum*, aliáque quæ proximè ex his pendent & vim ſortiuntur.

Hæc autem cùm univerſalia ſint, & per ſe nota, quid mirum ſi rariùs iis ſubſit dubitatio & difficultas, & proinde Caſus Conſcientiæ maximè contingunt, ratione *Applicationis* generalis notitiæ Regulæ, ad *Particulares Actus* in communi vita præſtitos vel præſtandos. Ratio eſt, quoniam Actiones in *Particulari* innumeris Circumſtantiis veſtiuntur, pro quarum numero & momento, Majus erit à difficultatibus, erroribus, dubiis, ſcrupulísque periculum; quod ortum dedit *Theologiæ*

Morali seu Casuisticæ, de qua nunc agitur: scilicet, ut quoties ægro animo occurrit anteactæ vitæ ingrata Recordatio, unde Conscientiæ morsus, Tristitia, Metus; aut quoties de Re mox gerenda, an honesta sit vel inhonesta, deliberatio vacillat, unde Inquietudo, Anxietas, suspensúmque vix sibi constantis Animi Judicium, suppetias ferat Casuista, dubia practica solvat, circa Actiones morales hominum cuique proprias, quatenus Deum, Creaturas, aut seipsum spectant; tandémque Hominem sibi reddat.

Contingunt igitur Casus Conscientiæ.

1. Quoties aut ex *neglectu*, aut *indebitâ* Applicatione notitiæ ad Facta, licere credimus quod prohibetur, aut prohiberi quod licet, (hoc est) *Erroneæ* Conscientiæ anguſtiis premimur; de cujus obligatione consule Casuistas.

2. Quoties inter utramque Quæstionis partem, *pendulus* tremit Animus & neutri adhæret; Argumentorum æquilibrio distractus incertus an tutò possit agere necne, hac ratione Conscientia *dubia* vocatur, quæ neminem practicè obligat, quamdiu Intellectus manet *Indeterminatus*, & donec posità *justis rationibus* dubitatione, aliqua propendet.

3. Aliquando alteri quidem parti quæstionis hæret, assensúmque præbet Intellectus; sed non sine aliqua interim *formidine* & suspicione partis oppositæ: & proinde *Opinabilis* & *Probabilis* Conscientia dicitur, aliquando *Rationum* probabilitate,

te, aliquando *Autoritate* mota, in quo casu quomodò sit agendum innumeræ sunt Casuistarum Regulæ.

4. Multoties in quæstione ad Actionem pertinente, justis rationibus abundè constat Intellectui Actionem licere, quando *levibus* interea *momentis* aut omninò ab agendo absterretur, aut post Actionem perpetuâ anxietate cruciatur, eóque nomine Conscientia *scrupulosa* audit, Metaphorâ, à *Lapillo* in pede, ductâ, qui aut Progressum impedit, aut vexat Progredientem; seu scrupuli ortum ducant ab *Inscitia*, aut nimiâ in Piis *cautelâ*, aut ex suggestione *Diaboli*, aut ex *Melancholico* corporis temperamento ad Timiditatem prono, certum est, iis multoties *renunciandum contraveniendúmque*, nè scrupuli tandem ultra modum crescant, adeóque qui iis indulget, *vel metu peccati* peccet.

Ex paucis his quæ prælibavi constabit, quanta sit utilitas necessitásque Theologiæ Casuisticæ, quantâ etiam opus sit *Eruditione*, *Observatione*, *Experientiâ*, qua *indole*, quibúsque *dotibus* in Casuista; & quibus *principiis*, & quo modo in Casibus solvendis sit procedendum.

CAP. III.

De Requisitis in Pastore ad Praxin Casuisticæ.

1. In Pastore desidero *Prudentiam* experientiâ & observatione multâ natam; nam quantumvis gratias agat Orbis Christianus egregiis viris, qui eruditos tractatus, de Objecto, Regulis & Casibus Conscientiæ, *cogitabundi* elucubrárunt; *quotidiana* interim Exercitii Pastoralis experientia, præstabit methodum, vulneratos Animos tractandi, infinities commodiorem.

Duo sunt præcipua Prudentiæ Capita apud Casuistas.

1. Expiscari veram doloris causam:
2. Remedia debita applicare.

1. Multoties externæ Calamitates ingenerant animi perturbationem, Conscientiæ morsui non valdè dissimilem, nôrit in hoc casu Theologus non cum intellectu & Conscientiâ, sed cum *Passionibus* Rem esse, & de Tristitia Instantis, aut metu impendentis mali, Philosophicè meditandum. Contingit quidem aliquando per externa mala permoleſtam reatûs reminiscentiam suggeri, quæ Conscientiæ solet ancillari, ut in Antiocho patet, *Maccab.* 2. 6, 12, 13. distinguendum est de Angore

re ex metu aut odio peccati orto, ſerióque cavendum, ut aliunde naſcens ægritudo animi, ſaltem in pœnitentiam deſinat.

2. Turbatur aliquando Animus ex mera Temperamenti *melancholici* influentiâ; ſunt quos Natura ad timorem & ſuſpicionem finxit; quibus proclive eſt Actiones *Indifferentes* pro illicitis, & *Infirmitates* pro peccatis irremiſſibilibus habere. Adeundus hic eſt Medicus, & ſanguini potiùs quàm Conſcientiæ proſpiciendum; ſedulóque monendus æger, nè ſcrupuli vel nulla de cauſa, vel de leviuſcula nati, in dubia intumeſcant, animúmque primo exigua ratione diſcrutiatum, reatu tandem onerent, & in Crimen vertant Infortunium.

3. *Diabolo* etiam ſuæ ſunt hic partes, invidet ille ſanctis ſincerum non peccandi Propoſitum, adeóque preces eorum Immiſſionibus *Blaſphemis*, *Inhoneſtis* cogitationibus meditationes interpellat, quódque maxime *ſatanicum*, exprobrat poſtinde meticuloſis peccandi ſuſpicionem, & vindictæ Divinæ meritum. Hinc Piis cogitationes *inquietæ*, *inſomnes* noctes, officia *dubitanter* & cum formidine præſtita, unde Triſtitia, Anxietas, & à deſperabundis tentationibus periculum.

Exponenda ſunt jam coram ægro Diaboli Strategemata, & præſentanea Divinæ miſerationis remedia, *Gratiæ Auxiliatricis* ſufficientia, & viſcera Crucifixi explicanda.

4. Quoties evenit ex debito ſenſu Reatûs Pœnitentes ringi, vulgò creditur (*ſed falsò* quidem) abundè Conſcientiæ redarguentis officio & Juſtitiæ

Divinæ ſatisfactum, ſi *Peccatum originale, communésque* humano generi *infirmitates* Lacrymis & Querelis onerent, ſi bono Deo *Crudelitatis* (nè dicam quidem Tyrannidis) illinant infamiam, séque doleant peccatores tanquam extra ſpem omnem poſitos, ad æternos Cruciatus deſtinari; ſuccurritur huic ægritudini monendo Pœnitentem, non ſufficere *generalem* Reatûs Confeſſionem, niſi ſpecialiùs etiam deſcendatur ad iſtius peccati agnitionem quod primitùs Conſcientiæ vexationem ſuggerebat, nullúmque eſſe peccatum *quantumcunque grave*, cui non ſit ex infinita Dei miſericordia, meritísque Chriſti, Pœnitentiæ & Remedio Locus, nam quoties æger multus eſt in *Criminibus levioribus* enumerandis & miſerandum in modum deflendis, (quando interim latet altâ mente reconditum ſcelus,) luditur opera; nam poſtquam ſatis ſupérque Reſponſum putas gemitibus & ſuſpiriis, intactum ulcus quod clam Confeſſore aut *Pudor* aut *Horror* eſſe juſſit, de novo recrudeſcet.

2. Commiſeratio & Condolentia in Confeſſore deſideratur.

Non temerè adoriundus eſt æger, aut cum ſupercilio in Terrorem compoſito; multum dolori multum *Infirmitati* dandum, vulgaris triſtitia quam paſſim generant Fortunæ mala, Corporisque dolor, ſatis eſt oneroſa, animúmque degravat; ſed in iſto caſu eſt *Rationi & Religioni* locus; aſt verò quis fando eſſe poteſt, quales ſint iſti gemitus quos medio de pectore intimáque cordis cavernâ eructat anima læſæ Divinæ Majeſtatis & extremæ vindictæ horrore perculſa? Nunc opus eſt fraternâ *Charitate:* nunc opus eſt *Humilitate*, &

Pati-

Patientiâ, omnibus commiſerationis Evangelicæ ſuaviloquiis adnitendum, ut animus heu nimium in *deſperationem* facilis aliquandiu ſublevetur, & *ſanis* conſiliis vacet; ut Confeſſorem tanquam amiciſſimum amplectatur, non tanquam *Cenſorem* perhorreſcat; patebit hoc modo ad Pœnitentiam aditus, ultróque exponet vulnus tam leni Medico contrectandum.

Sunt duo quibus peccatur nimia vel *Severitas*, vel *Lenitas*, in Confeſſore.

1. *Severitate* nimiâ: Sunt ex Caſuiſtis nonnulli Viri ſanè boni & eruditi, qui honeſto zelo Evangelii Gratiam per Legis terrorem magnificiendi, *diris* intonant, *flammas* & infernum ſpirant, tantáque comminationum atrocitate jamjam trepidantibus exprobrant reatum, ut tanto horrori impares, & de ſe conclamatum ſuſpicantes, aliquoties aut in *ſuſpendium* aut inſaniam adigantur. Conſcientiæ morſus aliquam de Pœnitente ſpem præbet, Par eſt Peccanti iniquitatis deformitatem & vindictam ob oculos aliquando poni, ſed opportunè fiat, ſi quem conſpexeris anguſto præcipitio inambulantem, & vix mediam viam emenſum horrendis clamoribus de periculo commonefeceris mirum eſt ſi non decidat, aliàs forſan ſecurus: poſteà verò cum in *ſolidum* collocatur, cœpti meliùs temeritatem perſentiſcet, de futuro monebitur cavere, & æternùm Divinæ Providentiæ litabit præſenti periculo ereptus.

2. Peccatur etiam nimiâ Lenitate: *Condolendum* quidem Paſtori, & leniendæ mentis perturbatæ ægri-

ægritudini consulendum, suadent quæ suprà dixi. Interim semper caveatur *honestati* morum: ità ut ab eodem reatu tum *Pœnitens*, tum *Alii*, in posterum absterreantur: Doleo igitur multa doctorum Casuistarum scripta, tot distinctionibus *magnâ subtilitate* elaboratis, referta; in quibus magna sæpè crimina ità *frustulatim* comminuuntur, ut in nihilum ferè abeant, aut in Pœnitentiam desinant perquam tolerabilem satìs: prona est in malum, humana Natura, adstipulantibus præsertim *Mundo*, *Carne*, *Diabolóque*: unicum quod ei supereſt sufflamen, est Conscientia; quod si *Indulgentiæ* facilitate, Conscientiæ fracta vis est, & *Lux in nobis tenebræ*, in Chaos antiquum confundimur, nec Lumine Naturæ, nec Divinæ Mentis Revelatione de Peccato tuti.

CAP. IV.

De Requisitis in Pœnitente.

1. MIssionis & Autoritatis Pastoralis Reverentia & æstimatio debita. Autoritas ista quâ suis imperant, tum Confessores *Pontificii* tum Pastores *Lutherani Calvinianique* sublevandis infirmorum Conscientiis, (mirum!) quantum inservit; siquidem quoties ex Gregalibus suis aliquis *scrupulo* uritur, cui eximendo se imparem sentit, prorsus ad *Doctorem* confugit, ad ejus nutum se sistit damnandum, absolvendúmve móxque

móxque Domum redit ſummâ lenitæ ægritudinis lætitiâ geſtiens, maximáque cum animi tranquillitate rurſus debitis Vitæ Muneribus ſemet obeundis accingit.

Sed (proh dolor) Eccleſiæ Anglicanæ non licet eſſe tam beatæ, Paſtoribus noſtris iſtam Autoritatem invident *Opulenti* adeóque immorigeri *Calcitrones:* nos conculcant tanquam reverà quod per contemptum audimus, *Miniſtros*, non Dei, ſed Hominum, ídque peſſimorum: Unde & per quos increvit Paſtoralis Muneris infamis iſte contemptus, præſtat tacere, quàm pauca dicere: ſed eadem tetigit urtica *Parochiale Vulgus*; adeò ut quoties Conſcientiæ morſus, aut ex loco Scripturæ *perperam intellecto*, aut ex *Peccati Recordatione* contingit; Rectorem Eccleſiæ ſuæ tanquam non Judicem ſuſque deque habeat, raróque eum conſulat, (imò ægrè veniam adeundi impetramus) & quando facta eſt nobis eorum copia, ut vultus intueri licet, ad horrorem compoſitos Reatui ſuo illacrymantûm! ſe miſeros peccatores extra Dei miſericordiam poſitos quiritantûm! ut tota turbatur Familia! reíque familiaris curæ renunciatum! obſtipum caput, oculi torvum intuentes! &c.

Quid Nos interea? Fraternam commiſerationem ſpiramus, omnibus circumſtantiis debitè trutinatis, aſperiùs vel leniùs, (pro Indole Pœnitentis) vulnus contrectamus tandémque quaſi ad Inçitas redacto, laxamus Chriſti brachia, Oculíſq; ſanguinem ejus ſtillantem, expirantémque ſubjicimus.

Quæ omnia ut debitum ſortiantur effectum opus eſt in Pœnitente, magnâ *Authoritatis noſtræ*, & *divinæ Miſſionis* Reverentiâ: aliàs *Amicitia* dabitur irritus

irritus iſte charitatis noſtræ conatus, ad priſtinos redibit ejulatus, & niſi miſericors Deus gratioſè ſuperveniat, Diabolus accuſator ille, ad deſperationem impellet.

2. Confeſſio Peccati quod menti dolorem incutit.

Repetitus in Eccleſia Romana Auricularis Confeſſionis uſus, non hîc ſuadetur, ſed ne omnimodam perpetrati criminis Confeſſionem, aut contemnat vulgus ut rem indifferentem, aut horreat ut illicitam; nam quando ob flagitium aliquod occultum, calamitate externâ afflictos aut quod ſæpiùs, jam moribundos, acriùs urget Conſcientia, crimen exprobrat, & deſperantibus ſimiles facit de cruciatibus æternis certiores: nos ægros adimus *(rarò enim accerſimur)* omnia pro officii noſtri ratione præſtituri. Multa forſan de peccato in genere, aut levioribus quibuſdam lacrymabundi declamabunt quandò nè verbum quidem de iſtis grandioribus delictis quæ horrendos gemitus extorquent. Inſtandum eſt igitur nobis officio noſtro, quantumvis ſucceſſus nos deſtituerit, & quod aliquoties Pœnitenti benè vertat exemplum proferam; cui teſtis eſt Vir (hodiè in vivis) Eruditione & Integritate Venerabilis Dr. S. P. Officinarius quidam Londinenſis vicinus morti decubuit, & Reverendus Eccleſiæ Parochialis Rector ſiſtebat ſe coram Muneri ſuo paratus: inter alia, imperavit Ægro, ut anteactæ vitæ delicta ſedulo recoleret, & ſiquid gravaminis turbatæ menti incumbebat, curaret eo Conſcientiam prorſùs exonerari; his monitis expergefacto, ſubiit reminiſcentia fraudis aliquot ante annis erga Nobilem

quan-

quandam factæ; cui ultra debitum pretium in emptione vaſculorum argenteorum, ſciens impoſuerat; Pœnituit eum facti, ídque verè, nam *reſtituit* pecuniam, per me & Rectorem poſtea in pauperes elocatam: Summa hujus Exempli hæc eſt, ut moneantur Eccleſiarum Rectores, in *munere Confeſſorio*, iſtis potiſſimum eſſe peccatis inſiſtendum, quæ *propriæ* cujuſque *Occupationi* ſunt maximè peculiaria, in quibus ſcil. valdè eſt *proclive* hominibus labi, & *periculoſiſſimè* dormitatur.

Muneris Theologici Partitio, poſtulavit hunc brevem Apparatum ad Caſuiſticam, cujus ſpecialior Praxis quatenus Exercitium Paſtorale ſpectat, favente bono Deo olim, fuſiùs explicabitur. Interim quicquid à me vel in Generali, vel in Speciali præſentis Apparatûs parte deliratum eſt, (quod valdè vereor) Generoſus Lector, condonabit ſomnum operi tam vario *humanitùs* obrepentem.

I N-

INDEX CAPITUM

Apparatus Generalis.

CAP. I.

De Muneris Theologici Partitione, Pag. 1

CAP. II.

Theologiæ Candidatum animo esse omnimodis Præjudiciis libero, & in studium Partium injurato, 3

CAP. III.

Subducendum esse Studium à rebus Muneri Theologico Inimicis, aut ab eodem prorsus Alienis, 5

1. *A Moleſtis Negotiis,* 5
2. *A Voluptatibus,* 5, 6
3. *A Studiis Muneri Theologico parum Affinibus,* 6

CAP. IV.

Cavendum eſſe ab Immodeſto in Divinis Phantaſiæ & Rationis Uſu, 8
1. *Adſciſcendum eſſe Socium Studiorum quicum ei ſtudia poſſunt eſſe communia,* 9
2. *Prælectiones ad Diſputationes in Theologica à Junioribus ſepoſita quavis Excuſationis ſpecie eſſe frequentandas,* 10

CAP. V.

De Obſervandis in aſſidua Lectione Sacræ Scripturæ, 11

CAP. VI.

Biblia Sacra illibatæ Chartæ, foliis intertexta, mox à Baccalaureatu eſſe comparanda, 13

CAP. VII.

Linguarum (Hebrææ Græcæque) penitiorem inſpectionem quam quæ in Scholis traditur eſſe neceſſariam, 14, 15

CAP.

CAP. VIII.

De Obſervandis in Lectione Sanctorum Patrum, 16

1. *Statu Eccleſiæ, rebúsque ei contemporaneis,* ibid.

2. *Hæreſium Origine, &c.* ibid.

3. *Patrum Scriptis, aut obſcuris, aut incurioſis, & quam ob cauſam,* ibid.

4. *De Auguſtini Scriptis,* 16, 17

5. *De Indole Hieronymi,* 17

6. *Alius Patribus Stylus in Commentationibus & Argumentationibus, Alius in Epiſtolis & Concionibus,* ibid.

7. *De Genuinis aut Suppoſititiis Patrum Scriptis,* ibid.

8. *De Patribus Apologeticis, quibus addat Grotium de Veritate Chriſtianæ Religionis,* 18

9. *De Inſcriptionibus Scriptorum,* ibid.

Omissis & quare, 18
Depravatis & quomodo, 18, 19

10. *De Suppositiis Scriptis non temerè ferendum est Judicium,* 19

CAP. IX.

De Origine, Partitione, & Usu Philosophiæ ad Theologiam, 19

1. *Aut ex Superbia,* 20

2. *Aut ex Modestia,* ibid.

3. *Aut ex Admiratione,* ibid.

4. *Aut ex Amore Virtutis,* ibid.

5. *Logicæ Instrumentalitas ad Scientias* 21

6. *Unde Metaphysicæ Suprematus in Scientiis,* ibid.

7. *Qua ratione Spiritus tractantur in Metaphysica,* ibid.

8. *Quare Physica excipit Metaphysicam in divisione Philosophiæ;* 22

9. *De Partitione Philoſophiæ Practicæ* 22
Ethica Generalis,
Politica, } ibid.
Oeconomica,

CAP. X.

De Grammatica, 23
De Origine Errorum, & Opinionum Diverſitate, ibid.
De Methodo Linguæ Latinæ addiſcendæ, ibid.
1. *De Colloquio Familiari,* 24
Ejus Impedimenta ibid.
Metus Pœnæ in Pueris, ibid.
Audacia requiritur ad liberè colloquendum, ibid.
Infirmitas Frontis in Adultis, ibid.
Copia Verborum neceſſaria ad Colloquendum, 25
Cenſura Lapsûs Linguæ impedimentum Colloquii familiaris, ibid.

2. *Tranſlatione,* 25
Tranſlatio compoſitioni anteferenda, ibid.
Uſus & Methodus Tranſlationis, ibid.
Senſus Autoris (potiùs quam verba) reſpiciendus, 26

Memoriter Anglicè reddant, quando recitant pueri, ibid.

3. *Collectione excerpendorum,* 26
Tutor ſemper oſtendat quæ ſunt excerpenda, ibid.
Contra vulgarem Praxin Poeſios, 27
Quid Nobilibus cum Poeſi, quid Stultis, ibid.
An in Gymnaſiis noſtris, vel Seminariis exteris curſus Philologicus citiùs expediatur & quare, 28
De Singulari Præceptore, diſtinctæ cujuſlibet Claſſis, 28, 29

CAP. XI.

Ars Oratoria, 29

1. *Stylus,* 29, 30
Turbatior & illimpidus Theologo indignus, vera Styli ratio, 29
De optimo dicendi genere Praxis vera Rhetoricæ, 30

2. *Pronunciatio & Actio,* 31
Quid ſint, Quam neceſſaria, ibid.
Modus Actionis, ibid.
Utilitas ejus, 32
Autores conſulendi, ibid.

CAP.

CAP. XII.

De Logica, ſeu Rationale Logicæ, 33

Uſus Logicæ Theologo, ibid.
Ad evitandam Styli Obſcuritatem, ibid.
Vera Logicæ Praxis, ibid.
Uſus primæ Partis Logicæ, 34
Secundæ, ibid.
Tertiæ, ibid.
Non uni Logicæ Syſtemati adhærendum, 25
Non Terminos tantùm, ſed Regulas, & Praxin Logicæ addiſcendam, ibid.
Vitium in Diſputatione devitandum, 36

CAP. XIII.

De Metaphyſica, Mathematica, Phyſica. 37

Metaphyſicæ Uſus in Theologia, ibid.
Ratione Subjecti ejus, ibid.

1. *Ad evitandas Hæreſes,* ibid.

2. *Ad Scholaſticos intelligendos,* 38

3. *De Suareſio Cenſura,* ibid.
Mathematicæ Uſus, ibid.
Primo, Pueris, ibid.

Secundo, Disputantibus, 39
Physicæ Usus, ibid.
Tum Atomicæ, tum Peripateticæ, ibid.
1. *Ad Contemplationem,* 2. *Ad Concionem,*
3. *Ad Interpretationem Scripturæ,* 39, 40

CAP. XIV.

De Ethica, 40
Severum ejus studium, ibid.
Necessitas ejus, 40, 41
Autores consulendi, ibid.

CAP. XV.

De Jure, 42
De Jure simpliciter dicto, ibid.
De Jure Canonico & Civili, ibid.
De Usu eorum ad Theologiam, ibid.
De Jure Naturali Hebræorum, 43, 44
Judicia Populi Israelitici aliis Nationibus Admirationi & Usui fuerunt, 43

CAP. XVI.

Index Materiarum Theologicarum, 45

Titulus
1. *De Cœlo cum Capitibus sub illo contentis,* ibid.
2. *De*

2. *De Inferno,* 45

3. *De Mundo Visibili,* ibid.

4. *De Homine cum respectu ad Felicitatem,* 46

5. *De Homine cum respectu ad Religionem,* ibid.

6. *De Revelatione Voluntatis Divinæ in V. Testamento,* 46, 47

7. *De Revelatione Voluntatis Divinæ in N. Testamento,* ibid.

8. *De Homine cum Respectu ad Ecclesiam,* ibid.

Caput primum Tituli primi de Deo Sectionibus impletum, 49

Caput Tertium Tituli primi de Christo impletum, 50

INDEX

CAPITUM & RERUM

Maximè Memorabilium

In Apparatus Specialis

PRIMA PARTE.

CAP. I.

DE Munere Scholastico & Polemico, 53
Origo Controversiarum, ibid.
Occasio & Methodus Scribendi hanc Dissertationem, 54
Autores qui huic Tractatui Materiam suppeditabant, ibid.
De Trithemii Scriptis, 55
Sophistica Inimica Evangelio, 56

CAP. II.

De Infantia Theologiæ Scholasticæ, 56

De

De Laudibus Patrum, ibid.
Damaſceni Laudes, 57

CAP. III.

De Adoleſcentia Theologiæ Scholaſticæ, 58
Gregorii Magni & Bedæ Laudes, ibid.
Alcuini Laudes, ibid.
Lanfranci Laudes, 59
Non erat Autor Theologiæ Scholaſticæ, 60

CAP. IV.

De Juventute Theologiæ Scholaſticæ, 63
Inventio Legum Romanarum, ibid.
Juris Civilis Honor, 64
Gratianum, Comeſtorem, Lombardum non fuiſſe fratres, 65
Scotum fuiſſe Anglum, 66

CAP. V.

De Senectute Theologiæ Scholaſticæ, 71
Quid per Senectutem ejus intelligitur, ibid.
Theologiam Scholaſticam non eſſe contemnendam, ibid.
Apud Proteſtantium Doctiſſimos in honore habitam, 72
Poteſtatis Romanorum Pontificum Origo, ibid.

Ca-

Canoniſtarum Origo, 72
Diſtinctio eorum à Scholaſticis, ibid.
Canonum Autoritas nimia, 73
Catalogus Autorum qui aut in omnes aut in aliquot, aut in ſingulos libros Petri Lombardi ſcripſerunt, 77
Scriptores aliquot inſigniores in Thomam, 78

CAP. VI.

De Abuſu Theologiæ Scholaſticæ, 79

1. *Curioſa Subtilitas Quæſtionum,* ibid.

2. *Scholaſticos nimio Honore habitos à ſuis,* ibid.

3. *Quod quodlibetali probabilitate diſputant de rebus magni momenti,* ibid.

4. *Juris Canonici Autoritas nimis obtineat,* 80

5. *Quod nimium fuerint ſpeculativi eorum Antiquiores,* ibid.

6. *Linguarum Imperitia iis vitio vertitur,* ibid.

7. *Methodus Quæſtionaria & Argumentativa in iis culpatur,* ibid.
Sed falsò & injuriosè, 81

CAP.

CAP. VII.

De Vſu Theologiæ Scholaſticæ, 82

1. *Primi omnium Scholaſtici, Theologiam in Ordinem & Artis formam redegerunt,* ibid.

2. *Logicam & Peripateticam Philoſophiam illuſtrârunt,* ibid.

3. *Diſputationes peragi nequeunt ſine Terminis Artis,* 83

4. *Controverſiæ poſtulant cognitionem terminorum Scholaſticorum,* ibid.

5. *Scholaſtici de multis quæ ſunt extra Controverſiam, optimè diſputant,* ibid.

6. *Lombardi Sententiæ & Thomæ ſumma Vtiles Junioribus,* ibid.

Hæretici neceſſariam reddunt Theologiam Scholaſticam, 84

Concluſiones quædam ex his præmiſſis in laudes Scholaſticorum, 85

Catalogus Quæſtionum Theologicarum juxta Terminos & Mentem Scholaſticorum, unà cum Autoribus qui de illis diſputant, 85

De

De istis quæstionibus monitiones quædam, 93
Cur Quæstiones recentiores non posuerim, 94

Index Insigniorum Scholasticorum in qualibet Ætate supra Commemoratorum,

Abailardus, Petrus Dealecticus dictus, 61

Ægidius Romanus, Thomæ Auditor, Doctor Fundatissimus, 66

Alanus Insulensis, Belga, Doctor Universalis, 68

Albertus Magnus, Germanus, 66

Alcuinus Bedæ Auditor præclarissimus, 58

Petrus de Alliaco Ep. Cameracensis, Cardinalis, 75

Almainus Jacobus, Doctrinæ Scoti & Occami addictissimus, 76

Anselmus, Italus, Ep. Cant. Lanfranci Auditor, 60

Anselmus, Gallus Scholasticus, ibid.

Anton. Andreæ Aragonius Scoti Discipulus, 68

Thomas Anglicus Theologiæ Scholasticæ Professor, 74

Thomas Aquinas, Alberti M. Auditor, Doctor Angelicus, 66

Ariminensis Gregorius, 73

Baco Joannes, vel de Baccone, vel Baconthorp D. Resolutus, 73

Bassolius Joannes Doctor Ordinatissimus, 73

Biel Gabriel Sectator Occami, 75

Bonaventura, Italus Cardinalis, Doctor Seraphicus, 65

Bradwardinus, Thomas Anglus Doctor Profundus, 73

Burlæus Gualterus Doctor Planus, 68

Capgravius Joannes Oxonienſis, 75

Capreolus Joannes Gallus, 74

Car-

Carthusianus Dionysius, 76

Damascenus Joan. Æqualis Bedæ, 57

Durandus de S. Portiano Gallus, D. Resolutissimus, 69

Ficinus Marsilius Platonicæ Philosophiæ Decus, 76

Gandavensis Henricus D. solennis, 66

Gerson Joannes, Gallus, P. de Alliaco auditor, 75

Gilbertus Ep. Pictaviensis cognomento Poretanus, 61

Gorram Nicolaus, Gallus, aliquando Gorranus, 74

Halensis Alex. Anglus, Doctor Irrefragabilis, 65

Haymo, Anglo-Saxonicus, Ep. Halberstad. Alcuini Discipulus, 59

Holcot Robertus, Anglus, 74

In-

Ingen Marſilius, vel Inguen, 74

Jordanus de Saxonia, Teutonicus, 75

Lanfrancus, Italus, Ep. Cantuar. 59

Lyranus Nicolaus ex Judæo ad Fidem converſus, 73

Lombardus, Petrus Ep. Pariſienſis, 61

Major Joannes Scotus, 76

Mayro Franciſcus, Scotus, Doctor Illuminatus, 68

Mirandulanus Joannes Picus, Mirandulæ in Italia Princeps, 76

Occam Gulielmus, Anglus, Doctor Invincibilis, 68

Rabanus Maurus, Germanus, Alcuini Diſcipulus, 59

Remigius, Monachus Bened. Ep. Antiſſiodorenſis, 59

Rucelinus, Magiſter Petri Abailardi, 70

Stra-

Strabo, Teutonicus, Fuldenſis Monachus, Rabani Auditor, 59

Scotus Joannes Duns, aliis Dyns, nonnullis Dunſcot, Subtilis, 66

Suicetus Calculator dictus, 62

Toſtatus Alphonſus, Ep. Abulenſis, Hiſpanus, 75

De S. Victore Hugo, Pariſienſis æqualis S. Bernardi, 60

De S. Victore Richardus, Scotus Bernardi amiciſſimus, 60

Diſtinctio Scholaſticorum pro Materia & Argumento, 69

1. *Sententiarii,* 2. *Summiſtæ,* 3. *Quodlibetarii,* 4. *Ecclogarii,* 69

Diſtinctio eorum pro Sectis.

1. *Thomiſtæ & Scotiſtæ,* 2. *Nominales & Reales,* 70

INDEX

CAPITUM & RERUM

Maximè Memorabilium

In Apparatus Specialis

SECUNDA PARTE.

De Munere Hiſtorico & Eccleſiaſtico.

CAP. I.

DE *Methodo Hiſtoriæ V. Teſtamenti per certas Epochas aſſequendæ,* 97

Cautio de iſtis Epochis, 98
Epochæ ipſæ, ibid.
Autores conſulendi, 99

CAP. II.

Præmonitiones aliquot ad prædictas Epochas neceſſariæ, 100

CAP. III.

Methodus implendi Epocharum iſtarum Spatia, 102
hoc eſt quænam obſervantur & diſputantur.

1. *Ab Orbe Condito ad Diluvium,* ibid.

2. *A Diluvio ad Abrahami Migrationem,* ibid.

3. *Ab Abrahami Migratione ad Jacobi Deſcenſum,* 103

4. *A Jacobi Deſcenſu ad Exitum Iſraelitarum,* ibid.

5. *Ab Exitu Iſraelitarum ad Moſis Obitum,* 104

6. *A Moſis Obitu ad Saulis Regnum,* ibid.

7. *A Saulis Inauguratione ad jactum Templi Fundamentum,* 105

8. *A*

8. *A jacto Templi Fundamento ad Excidium Iſraelitarum,* ibid.

9. *Ab Excidio Samariæ ad Excidium Hieroſolymorum,* ibid.

10. *Ab Excidio Hieroſolymorum ad Solutionem Captivitatis,* 106

11. *A Solutione Captivitatis ad Imperium Græcum,* ibid.

12. *Ab Initio Imperii Græci ad Æmilii triumphum de Perſeo,* ibid.

13. *A Perſeo victo ad Cleopatram victam per Auguſtum, ſeu ad Quartum Imperium ſummum,* 107

14 *A Cleopatra victa ad Natum Chriſtum,* ibid.

CAP. IV.

De Methodo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ poſt Chriſtum, 108

Laudes Baronii & Centuriatorum Magdeburgenſium, ibid.

Index Capitum.

Capita seu Loci Communes Ecclesiasticæ Historiæ post Christum à Junioribus exquirendi, 109

1. *De Imperatore,* ibid.

2. *De Ecclesiæ Propagatione,* ibid.

3. *De Persecutionibus Ecclesiæ,* ibid.

4. *De Politia Ecclesiastica,* 110

5. *De Conciliis,* ibid.

6. *De Hæresibus,* ibid.

7. *De Schismatibus,* ibid.

8. *De Viris Illustribus.*

9. *De Ritibus & Ceremoniis.*

IN-

INDEX

CAPITUM & RERUM

Maximè Memorabilium

In Apparatus Specialis

TERTIA PARTE.

De Munere Critico ſeu Textuali.

CAP. I.

DE Laudibus Criticæ, 113

CAP. II.

De Exercitio Criticæ in S. Scripturis, ſeu de Origine Difficultatum in S. Scriptura, 116

Difficultates in Senſu, ibid.

Difficultates in Textu Integro, 117
Difficultates in Textu Corrupto, vel Casu, 118
Vel Consilio, 119

CAP. III.

Catalogus Difficilium & Memorabilium in S. Scripturis Textuum, 120

IN-

INDEX

CAPITUM & RERUM

Maximè Memorabilium

In Apparatus Specialis

QTARTA PARTE.

De Munere Casuistico seu Morali.

CAtalogus *Insigniorum Capitum Moralis Theologiæ,* 141

CAP. I.

De Patefactione Voluntatis Divinæ, seu de Regula Conscientiæ, 143

Defectus Luminis Naturæ, ibid.

Suppletur istiusmodi Defectus per Scripturas, 143
Consecravit certos Homines in ministerium ad eas explicandas, 144
Voluntas Dei perfectissimè revelatur per Evangelium, ibid.
Ethicæ & Juris Prudentiæ Elementis opera danda est, 145
Assidua S. Scripturæ Lectione opus est ad Casuisticam, ibid.
Propter Difficultates in Textu & Sensu, ibid.
Quatenus sunt Regulæ morum, ibid.
Propter singularitates in V. Test. 146
Propter Paucitatem Præceptorum, & Casuum Infinitatem, ibid.
Laudes Casuistici Muneris, ibid.

CAP. II.

De Conscientiæ Casuum Origine, 146

Quid sit Conscientia, ibid.
Omnibus hominibus inesse Conscientiam, ibid.
Unde contingunt Casus Conscientiæ,
Non ex Defectu Notitiæ Universalis, 147

Sed

Sed ex Defectu Applicationis ejusdem ad Particulares Actus, ibid.
Idque propter Actionum Circumstantias, ibid.
Unde Origo Casuisticæ 148
De Erronea Conscientia, 148
De Dubia Conscientia, ibid.
De Probabili & Opinabili Conscientia, ibid.
De Scrupulosa Conscientia 149
Unde Scrupuli contingunt? ibid.
De Necessitate & Utilitate Casuisticæ, ibid.

CAP. III.

De Requisitis in Pastore ad Casuisticæ Praxin, 150

Præcipua Prudentiæ Capita, ibid.
Expiscari veram Doloris causam, ibid.
Remedia debita applicare. ibid.

1. *Conscientiæ morsus distinguendus est, à dolore propter externa mala,* ibid.

2. *Alius est etiam à Dolore ob Melancholicum Temperamentum,* 151

3. *A Dolore per immissiones Diaboli,* 151

4. *A Querelis generalioribus tantùm,* 152

5. *A Desperatione,* ibid.

Commiseratio & Condolentia in Confessore desideratur, ibid.
Item Charitas & Humilitas, 152

Duo quibus peccatur à Confessore.

1. *Severitate nimia,* 153

Pœnitenti injuriosa, ibid.

2. *Lenitate nimia,* ibid.

Morum Honestati injuriosa, 154

CAP. IV.

De Requisitis in Pœnitente, 154

1. *Missionis & Autoritatis Pastoralis Æstimatio,* ibid.

Leni-

Leniendæ Conſcientiæ maximè inſervit, 155
Paſtoralis Autoritatis infamis defectus, ibid.

2. *Confeſſio Peccati quod menti Dolorem incutit*, 156

Utilitas Confeſſionis Liberæ apud Pœnitentem inſtanter urgendæ, ibid.

Bibli-

Bibliotheca Theologica Minor.

Biblia S. Interlinearia, Pagnini & Ariæ Montani, Concordantiæ Veteris Testamenti per Kircherum, Novi Testamenti per Andr. Sympson.

Utriusque Testamenti Concordantiæ Anglicæ Newmanni vel Cantabrigienses.

In Artibus & Scientiis.

De Lingua Latina.

Ciceronis Epistolæ, Terentius, &c. Rolandi Maresii Epistolæ Philologicæ, Jo. Vossii Dissertationes.

De Ethica.

Aristotelis Ethica, Crellius, Whitbæus, De Passionibus Reynoldus. Plutarchi Moralia, Gregorius de Valentia, & Cajetanus in Thomæ Summam, Interpretes Decalogi, & Proverbiorum, Ciceronis Officia, &c. Epictetus Arriani, Stobæus; de Politicis & Oeconomicis Crellius.

De

De Rhetorica.

Aristotelis Rhetorica, Cicero de Oratore, Quintilianus, Vossius, Valentini Thilonis Pathologia Oratoria, Regii Christianus Orator.

De Logica.

Sandersonus, Wallisius, Smiglecius, Logica ad mentem Nominalium, Logica ad mentem Scoti, Crakanthorpius, Summa totius Logicæ per D. Stearn Ep. Eboracens.

De Metaphysica.

Scheiblerus, Suaresius.

De Mathematica.

Barrow in Euclidem, Hues de Globis.

De Physica.

Sennertus, Gassendi Syntagma, qui Philosophiam Scripturæ S. tractârunt vide apud Episc. Cestrienſis Eccleſiaſten.

De

De Jure.

Tum Naturali tum Gentium, Grotius de Jure Belli & Pacis, Franciſcus à S. Victoria, Sharrochius de Officiis, Puffendorphius.

De Jure Civili, Forſterus de Hiſtor. Juris Civilis, Duck, Inſtitutiones, Elementa Zouchii, Bronchorſtius de Regulis Juris.

De Jure Canonico, Corvinus, Inſtitutiones Lanceloti, Auguſtinus Barboſa, Lynwood Provinciale ſive Conſtitutiones Anglicæ.

De Jure apud Hebræos, Seldenus, Cunæus, Spencerus.

De Theologia Gentilium.

Jo. Voſſius.

De Theologia Chriſtiana.

Grotius de Veritate, Origines Sacræ per D. Ed. Stillingfleetum.

De

De Theologia Scholastica.

Petrus Lombardus, & Expositio in Petrum Lombardum per Martinez de Ripalda.

Thomæ Aquin. Summa, & in Thomam Pet. Alangona, (nescio an non potius Alagona) nam librum non vidi, idem præstitisse dicitur quod Martinez de Ripalda in Lombardum, Pet. Labat Theologia Scholastica secundum Doctrinam D. Thomæ.

De Scriptoribus Scholasticis.

Philippus Labbeus, & Chartophylax Ecclesiasticus D. G. Cave.

De Patribus.

Vitæ Patrum per G. Cave; de Genuinis aut Suppositiis Scriptis eorum, Bellarminus, Cocus, Dodwellus, Sixt. Senensis; de Editionibus & Scriptis Patrum, P. Labbæus, Chartophylax Ecclesiasticus, Ellies du Pin Biblioth. Nouvelle.

De Hiſtoricis & Eccleſiaſticis.

Euſebius cum Notis & Collectionibus aliorum Scriptorum Valeſii, Gruteri Auguſta Hiſtoria, Baronii Epitome per Spondanum, Centuriatores Magdeburgenſes.

In Chronologicis. *Jacobus Armachanus, Helvicus, Capellus, Robinſoni Annales Scriptionis Acumine Junioribus utiles, per Tho. Pierce Dec. Salisburienſem.*

In Geographicis. *Sam. Bochartus cum Tab. Chorographicis, & Lightfootus, Chytræus.*

De Conciliis.

G. Beveregii Pandectæ Canonum S. Apoſt. & Concil. Fran. Longi à Coriolano Summa Conciliorum omnium, H. Spelman Concilia, Decreta, Leges, & Conſtitutiones in Re Eccleſ. Orbis Britan. Linwood.

De Critica & Munere Textuali.

Buxtorfii Lexicon. Bithneri Analyſis, Joan. Leuſdeni Compendium Biblicum V. T. Hebr. & Lat. item N. Teſt. Gr. Lat. Jo. Buxtorfius de

Punctorum Vocalium Origine in Veteri Testamento.

De 70. Interpretibus & eorum Tralatione Cl. Jf. Vossius, Wolf. Franzius de Interpretatione Sacr. Scripturarum, Glassii Philologia Sacra.

De Casuistica.

Toletus, Balduinus, Amesius, Sandersonus, D. Jer. Taylor Ductor Dubitantium, & ex Fratribus Dissentientibus, R. Baxterus, &c.

De Scriptoribus in aliquot Subjecta Specialia.

In Sacramenta, Commentatores in Sententias.

In Orationem Dominicam, Amyraldus.

In Symbolum, Piersonus.

In Decalogum, Autor Totius Hominis Officii, Towersonus, &c.

Contra Presbyterianismum, Hookerus, & Episcopus Asaphensis, Laudus contra Fisherum, cum

cum D. Ed. Stillingfleeto, & eruditi Tractatus qui omnium hodiè manibus teruntur, Grotius de Satisfactione Christi, Historia Socini & Socinianismi per Ashwellum, Episcopius.

Plures Autores qui desiderat, consulat eos qui Bibliothecas Materiarum Scripserunt in Apparatu nominatos, & specialiter in Bibliotheca Bibliothecarum Labbei per Teisser. De quibus omnibus moneo & doleo quod sit conquerendum, quando Lectori Negotium facessunt numero, potiùs quàm Suppetias ferunt debito Delectu Librorum.

Sunt alia Innumera Doctissimorum Virorum, tum Exterorum tum Anglorum Opera & Opuscula, huic materiæ convenientia, sed ea in alium Tractatum reservantur.

Ratio cur hanc Bibliothecam Tyronis seorsim à Capitibus singularibus utriusque Apparatûs describo, idque contra quam in Præfatione statueram) additis passim Autoribus aliquot novis) est, ut Juniores valeant distinguere Libros illos quibus ego usus sum in conficiendo hoc Apparatu, à Libris quos iis tanquam Usui futuros commendavi.

FINIS.

ERRATA.

PRæf. lin. 1. lege *Informator*, pag. 3. lin. 8. l. *Præjudiciis libero*, p. 20. l. 26. *Encyclopædiam*, p. 26. l. 8. *maximè*, p. 28. l. 4. *ex*, p. 32. l. 13. *Oracula*, p. 107. l. 10. *proclive*, p. 115. l. 11. *Malitia*, p. 145. l. 11. *Præstat*, p. 146. l. 5. *Genere*.